


HORATII PVRIORES ODÆ.

CONGESTÆ IN LIBROS Quatuor.

Has ANTONIVS COLLETI Societatis IESV Sacerdos,

Ab impuris nunc primùm seiunctas, Poeseos Lyricæ Candidatis exhibet, cum obseruationibus opportunis.








LVGDVNI,
Sumptibus ANTONIJ THOMAS, sub signo S. Ludouici, iuxta Templum Collegij SS. Trinitatis.

M. DC. LXXVI.
CVM PRIVILEGIO.







GENERALI
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO.






PVDICOS non veretur iam pudicus Horatius, exedras iuueniles aperta fronte subit, eo clarior dein-

ceps futurus, quo purior: obscurabant scilicet Venustißimi Venusini nomen obiectæ paßim sordes, quas voluit absterſas, cui nihil niſi limpidum fluit. Et certè cythereum cœnum odit ſincera IESV Societas, quidni oderit eiuſdem Præpoſitus Generalis? Huic apparatur à Pallade, mons Helicon, Aganippe fons: atqui virgo eſt Pallas, cuius Virginis Oliua eſt, Oliuæ igitur ſint Virgines Muſæ.



LIBER I.



ODE I.

AD MÆCENATEM.



ÆCENAS, atauis edite Regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum!
Sunt, quos curriculo puluerem olympicum
Collegisse iuuat; metáque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis,
Terrarum Dominos euehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,
Quicquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros; Attalicis conditionibus
Nunquam dimoueas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium, & oppidi
Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra iuuant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Ioue frigido
Venator, teneræ coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum ederæ præmia frontium
Diis miscent superis: me gelidum nemus,
Nympharumque leues cum Satyris chori,
Secernunt populo; si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quòd si me lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

An carminum hi libri, an odarum? Vox, *Carmen*, Latina quidem, sed magis ambigua, quàm Græca sit ᾠδὴ: odas ergo vocant singulas etiam ij, qui librum non odarum, sed carminum inscribi volunt; id verò videtur minùs necessarium. Est autem ᾠδὴ factum per crasim ex ἀοιδὴ, Latinis, cantilena: quod nomen ideò datum hisce versibus, quia olim caneban-tur

tur ad lyram. Hinc lyricus Poëta Horatius, immò & lyricorum, si Quintiliani sententiam sequimur, facilè princeps.

Mæcenas, Equestris ordinis vir nobilissimus, ab Hetruriæ Regibus oriundus. Est Hetruria Italiæ regio, cuius primaria ciuitas, hac nostra ætate, Florentia.

Propriè Atauos dicimus, tritauorum filios, atauorum parentes, auos proauorum, auorum verò proauos; impropriè autem, quoscumque maiores. At mos Poëtis, nominatim Horatio, à propria loquendi ratione deflectere.

Curriculi appellatione designatur exiguus currus, qualis adhiberi solebat ad olympica certamina, in quibus vna leuitas in pretio erat, vt quæ ad celeritatem faceret maximè. Tunc puluis excitabatur, victoribus gratus: hunc Poëta Olympicum vocat à monte Olympo, iuxta quem Olympij, seu Olympici Iouis templum, in Græcia, vbi maximo populorum concursu edebantur curules, & gymnici ludi, ab Hercule instituti primùm, in honorem Olympij Iouis, postcáque ab Iphito restaurati; quanquam non desunt, qui velint institutos ab Iphito.

Meta, erat columna, ad quam contendebant equorum agitatores; ita tamen, vt ne currum in eam impingerent; sic enim adiissent summum vitæ discrimen, quia & fractus foret axis, & ipsi è curru excussi.

Rotas feruidas pro celeriter motis accipe: quo enim mouentur celeriùs, eo feruent vehementiùs.

Ad Deos euehi, est gloriam immortalem consequi, qualem scilicet consequebantur Olympionicæ, à quibus Horatius ad Romanos sermonem conuertit, quos Quirites mobiles nominat: Quirites quidem, à primo eorum Rege Romulo, qui dictus est

Quirinus, vel ab hasta, quâ vtebatur assiduè, hæc enim à veteribus appellata est quiris; vel à Curibus, quos idem debellarat. Erant autem Cures, Sabinorum oppidũ, aut oppidi eiusdem incolæ. Sabini porrò, Italiæ populi, Latinis adiacentes, neque ab Vmbris longè dissiti. Mobiles verò, à perpetua comitiorum inconstantia, de qua graphicè M. Tullius: Quod enim fretum, inquit, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus vnus, aut nox interposita, sæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris.

Honores tergemini, Ædilitas maior, Prætura, Consulatus, quos qui adeptus erat Romæ, is ad apicem supremum dignitatum euectus credebatur. Nihil autem hîc gemini vox ad ternarium numerum adiungit, vt neque apud Virgilium, quando Regem Hispaniæ Geryonem, Tergeminum Poëta dicit: eo enim dumtaxat sensu tergeminus ipsi Geryon, quo tricopor est aliis.

Areæ Libycæ, Africanæ: nam Africa nuncupata est Libya, quòd eam Libya, Epaphi filia, incoluerit. Abundat autem frumento Africa, sed profectò non tota, est enim maximâ sui parte sterilis: verùm attendebat, opinor, Horatius, duas eius regiones mirè fertiles, Mauritaniam, & Ægyptum, Romanis præcipuè notas. Areæ porrò, non agri lati, plani, & aprici, vt quidam perperam aiunt; sed idonea terendis frugibus loca, vnde triticum in horrea inuehitur; ea enim euerrunt loca rustici, ne quid restet collectæ anteà messis.

Attalicæ conditiones, optimæ: siquidem Attalus, Rex Pergami, multas opes congessit, quas, quòd liberis

liberis careret, transcripsit in Romanum populum; ex quo contigit, vt Romæ, quæ pretiosa maximè, appellarentur Attalica.

Trabem, & ratem, pro naui Poëtæ vsurpant: cur autem Cypria hæc, nisi quia Insula Cyprus opportunam admodùm præbet ad naues exstruendas materiam?

Secatur mare, dum nauigatur; nam imâ nauis parte finditur aqua; finditur item gubernaculo, siue clauo eiusdem nauis. At Myrtoum appellatur, vel à Myrto, ex qua Myrtilum suscepit Mercurius; vel à Myrtilo ipso, Oenomai auriga, cuius fraude, cùm victus à Pelope esset, eidem & regnum, & Hippodamiam filiam reliquit moriens. Postulauit Oenomaus tamen, vt id facinus non ferret auriga impunè, quem ideò Pelops in mare præcipitem egit. Præcipitem egit Icarum in mare idem sua temeritas, cuius, ex Ouidio, nota est fabula. Pars portò Ægæi, Myrtoum; pars, Icarium; & Ægæum, pars maris Mediterranei; sic dictum ab Ægæo, Neptuni filio, Atheniensium Rege, qui Thesei filij nauem, velis nigris obductam conspiciens, in illud se deiecit, quòd crederet à Minotauro ipsū in Creta occisum. Scribunt autem Grammatici secundam Ægæi syllabam, aut per secundam vocalem e, aut certè per diphthongum æ; quia Ægæi appellationem deriuant etiam ab Ægæone, Titanis, ac Terræ filio, qui vno ictu centum scopulos in Iouem contorquebat: hunc enim tandem victum, Ægæi maris scopulis Neptunus alligauit; eius meminit Virgilius Æneid. lib. 10.

Africum cum ventum nominat Horatius, quem nunc Itali *Labeccio*, quasi Libycum, oppidò procellosum, vti ego expertus sum semel. Flat Africus ab occasu hyberni solstitij, quo cum ex diametro pugnat cæcias; hic enim excitatur, è sententia plu-

rium, ab ortu solstitij æstiui.

Massicum vinum à Massicis Campaniæ Felicis montibus, de quibus agit Plinius: huic vino adiungit idem Setinum, Cæcubum, Falernum, Calenum, Gauranum, & Surrentinum, in eadem Campania natum, quæ prævalidi etiamnum vini ferax; ibi enim tantopere iactata lacryma.

Solidus dies, negotiis datus; cuius partem demit, qui eam impendit in otium, & genio indulget, contra morem veterum Romanorum, de quo vide Selecta Martialis Epigrammata, & adiectas iis à me breues aliquot notas.

Qui arbutum amœnam, conuiuiisque idoneam scribunt, nunquam viderint arbutum: etsi enim ad montem Atho, quemadmodùm obseruat Bellonius, valdè procera est, alibi tamen, in Italia nominatim, est exiguus frutex, cuius magna non potest esse vmbra. Cur igitur, inquies, viridi sub arbuto stratum hominem Horatius exhibet; cùm palleant potiùs, quàm vireant eius folia, neque commodam præbeant vmbram? Quia vmbram non cogitabat Horatius, & viride opponebat arido, caprariumque aliquem depingebat haud dubiè qui iaceat humi, vbicumque sors tulerit, præsertim sub arbuto tamen, vt ne abeat à grege suo procul, intelligens probè quod ait Virgilius:

Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis.

Folia enim nunquam decidunt arbuto, quare quæ foliis delectantur animalia hæc, habent semper quod ex arbuto carpant. At plura de arbuto Theophrastus, Dioscorides, aliique scrutatores plantarum, & præ aliis, vti censeo, Clusius.

Aquæ caput, mihi fons, ex quo minimè vehemens, concitatúsve riuus. Fonti autem inesse diuini aliquid existimarit delusa Gentilitas; hinc Poëta sacram eius aquam dixerit.

Lituo

Lituo tubæ permiſcetur in bello ſonitus, rectè: litui enim ſonitus acutior, graciliorque ſonitu tubæ eſt, ac propterea clarior: ex quo aptè à Gallis appellatus eſt lituus, *Clairon.*

Manet ſub Ioue frigido venator, ſiue ſub dio; quia manè, & veſperi potiſſimùm fructuoſa venatio; nam veſperi è latibulis ad paſtum exeunt feræ, dein manè ad latibula ſua redeunt: manè autem & veſperi potiſſimùm vrit frigus.

Marſus aper pro quouis apro accipi poſſet; niſi mauis intelligere de apro apud Marſos, Italiæ populos, occurrente frequentiùs, ob iuga montium, nemoraque frequentia. Marſi dicti ſunt ij à Marſo, Circes filio, à quo ſuam feruntur duxiſſe originem.

Ederas, doctarum præmia frontium, ideò appellat Horatius, quòd eximij Poëtæ coronati ſint ederâ, & meritò ſanè; nam Baccho dicata edera eſt: nunquam enim ſeneſcit Bacchus, nunquam etiam edera; Bacchus porrò idem atque Apollo eſt, Muſarum præſes, Poëtarumque veterum Deus; quia ſcilicet vterque ſol, non eodem nomine, nec eodem ſchemate perpetuò deſignatus fuerit licèt; qua de re conſulendus Macrobius. Ederæ vocabulo latinam præfigunt aſpirationem aliqui, quia vocabulum id ab hærendo deductum volunt; at minimè præfigunt alij, quia ortum arbitrantur ab edendo. Et quidem edit arbores, dum arboribus hæret edera; nam humorem earum exſugit.

Nymphæ, & Satyri, ruſtica numina, quibus addictus eſſe debebat is, qui ſeceſſum amabat, vt faciliùs poëſi daret operam, & cum Muſis liberè verſaretur: harum vnam Euterpem hîc nominat, cui tibias; Polyhymniam alteram, cui barbitum tribuit, muſicum inſtrumentum, de cuius figura tamen, inter ſtudioſos antiquitatis, non conuenit planè. Lesboum au-

tem vocat instrumentum huiusmodi, ab amplissima Ægæi maris Insula Lesbo, quam Sappho, & Alcæus, lyricorum versuum scientiâ celebres, natalibus illustrarunt. Quia verò tendere barbiton, dixit, significat fuisse chordis instructum; tenduntur enim chordæ, quas digitis pulsatas reor, ideóque non multùm discrepasse ab ea citharæ, seu lyræ specie, quæ nunc Italis *Thyorba*: non propter affinitatem quandam nominis tantùm, sed & propter excellentiam soni.

ODE II.

Ad Augustum Cæsarem.

IAm satis terris niuis, atque diræ
Grandinis misit Pater, & rubente
Dexterâ sacras iaculatus arces,
    Terruit vrbem.
Terruit gentes, graue ne rediret
Sæculum Pyrrhæ, noua monstra questæ,
Omne cùm Proteus pecus egit altos
    Visere montes;
Piscium & summa genus hæsit vlmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis,
Et superiecto pauidæ natarunt
    Æquore damæ.
Vidimus flauum Tiberim retortis
Littore Etrusco violenter vndis,
Ire deiectum monumenta Regis,
Templáque

Templaque Vestæ.
Iliæ dum se nimiùm querenti
Iactat vltorem, vagus & sinistra
Labitur ripa, Ioue non probante, V-
xorius amnis.
Audiet ciues acuisse ferrum,
Quo graues Persæ meliùs perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum,
Rara iuuentus.
Quem vocet Diuûm populus ruentis
Imperi rebus? Prece quæ fatigent
Virgines sanctæ minùs audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Iupiter? Tandem venias precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo?
Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam Iocus circumuolat, & cupido;
Siue neglectum genus, & nepotes,
Respicis autor.
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuuat clamor, galeæque leues,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Siue mutatâ iuuenem figurâ
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris vltor.

Serus in cœlum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini;
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat, hîc magnos potiùs triumphos,
Hîc ames dici Pater, atque Princeps:
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

Mutauerat Reip. Romanæ statum Iulius, & imperium ad se supremum traduxerat; sed à coniuratis interfectus aliquanto pòst, bellorum ciuilium nouum fomitem ministrauit: his tandem sopitis ab Octauio, quem victi, victoresque Augustum appellarunt, ipse rerum potitus est solus, habuitque deuinctos sibi ciues, præcipuè Agrippam, & Mæcenatem, quibus charus in paucis Horatius: at peræquè charus ipsi Augusto, quem demulcet hac ode suauiter, occasione perpetratæ anteà cædis, docetque maiorum gentium Deos vehementer propterea iratos.

Rubentem patris dexteram vocat manum Iouis, armatam fulmine, & quidem omnium atrocissimo, flammam scilicet, lapidemque inuehente, quod propterea exurat, ac terebret; cùm ex aliis prodeat fumus tantùm, aut flamma. Scio Aldrouandum aliosque grauissimos viros, historias huius lapidis, quem & Brontiam, & Ceranniam dicunt, reuocare in dubium, sed immeritò; extant enim mirabiliores aliæ de lapidibus aliis, quos è cœlo cecidisse certissimum est, instar pluuiæ, cuiusmodi ea fuit, quæ magno Mortalium terrore, ac periculo, in Mauricas Insulas grassata est, dum versaretur apud Indos Xauerius noster; & quæ, nostra ætate, in Gallia nostra

noſtra contigit, cuius hodie ſuperſunt oculati teſtes multi, exceptione omni omninò maiores.

Iaculari arces, eſt iaculo, ſiue telo illo triſulco ferire; nam triſulcum vocabant Iouis fulmen, habita, ni fallor, fumi, & ignis, & lapidis ratione. Vnum ego talem lapidem habui aliquando præ manibus, durum enimverò, & ex materia conflatum tenaciſſima; paternus eum famulus de cœlo labentem viderat in agrum excultum diligenter, in quo nulli penitùs lapides alij, & ad herum detulerat. Huius porrò figura triquetra erat. Ex quo clarum eſt eſt, errare criticos illos, qui arbitrantur è nubibus prodire poſſe tantùm ſphæricam; id enim vt repugnat experientiæ prorſus, ita prorſus rationi.

Terruit gentes, graue ne rediret ſæculum Pyrrhæ. Id eſt, adeò perculit populos, vt metuerent, ne rurſum mergeretur cataclyſmo terrarum orbis, quemadmodùm merſus creditur ætate Deucalionis, ac Pyrrhæ, qui ſoli feruntur ex aquis in Parnaſſum euaſiſſe: ſed cùm de humani generis reparatione ſoliciti, oraculum Themidis conſuluiſſent, iuſſi ſunt oſſa magnæ matris poſt tergum iacere; id ſapienter interpretati, lapides miſerunt continuò plurimos; quos Deucalion, in mares; quos Pyrrha, in fœminas, conuerſos Mythologi aiunt, vt ſignificent inclinationem morum maximam labentibus à cataclyſmo ſæculis factam. Dicitur autem Pyrrha de nouis queſta monſtris, de piſcibus marinis videlicet, apparentibus de nouo, ac cetis nominatim, qui nobis videri monſtra poſſint; vel de monſtris etiam propriè dictis, quæ plurima generantur in mari.

Proteus, Oceani, ac Tethyos filius, in figuras varias verti ſolitus, ideóque Vertumnus à Latinis nuncupatus, phocarum, quaſi pecorum marinorum, credebatur eſſe cuſtos. Exeunt ex aquis phocæ, & in-

in scopulis dormiunt; non tamen efferuntur ad summa montium cacumina, nisi eò ascendat mare, vt ascendisse nunc dicitur ab Horatio, aut celsissimas saltem arbores palmis aliquot superasse; natantibus enim piscibus tunc fuisse subiectas oportuit.

Columbas interpretatur Bondius turtures, quòd columbæ in arboribus haudquaquam nidificent: palumbes interpreter ego potiùs; etsi enim turtures vtcumque columbis similes sunt, palumbes tamen iisdem similes magis; ex quo factum arbitror, vt ambæ species idem apud Gallos consequutæ sint nomen: æquè scilicet istæ, atque illæ ipsis, *Pigeons*: istis verò, ad indicandum discrimen aliquod, additur vox vernacula, *ramiers*, quâ in ramis arborum libenter considere demonstrantur.

Damam veterum Aldrouandus, de quadrupedibus bisulcis agens, à dama recentiorum diuersam esse ait, & meritò quidem; hæc enim ceruini generis est, illa verò caprini, de qua ideò loqui existimandus Horatius, quòd & pauidam vocet, cuiusmodi est caprarum genus omne; & in montium iugis positam tunc fuisse significet, nam ad ea se recipit, quando instat periculi aliquid: at dama recentiorum magis depressa incolit vtplurimùm loca: cornibus latis, ramosisque prædita est, nuncupata proinde à Græcis, πλατύκερως. In Galliis vix visa, tametsi etiam nunc in Anglia est frequens.

Flauum Tiberim Bondius proprium amnis huius epitheton esse censet; at Virgilius eundem dixit cæruleum: loquutusne ideò minùs propriè Poëtarum coryphæus? Litem αὐτοψία negotio nullo dirimet. Flauus Tiberis, Romæ, vsque ad sua ostia; sed cæruleus à prima origine: nisi fortè tunc exundat, vt reuera exundabat, quando retortis, siue abductis

abductis aquis à ripa oppoſita, quæ ſpectabat ad regnum Hetruriæ, moles earum impellebat in alteram, cui Roma incumbebat, ſpectabatque ad Latium.

Veſtæ quondam duæ; altera, Saturni mater; altera filia: hac ignem Romani ethnici, terram illâ deſignabant, & veſtam appellabant, inquit Naſo, quòd vi ſua ſtet. Ei templum excitauit ſecundus Romanorum Rex Numa, inter Capitolinum, & Palatinum montem: ſacrauit Virgines, quas ignis perpetui cuſtodes eſſe iuſſit; & alia inſtituit religioni ſanciendæ opportuna. Nec te moueat quòd ignis hic videatur eſſe filiæ, non matris; nam ſæpe vtramque confundebant veteres, & quæ vni erant propria, tribuebant facilè alteri: verſabatur ſcilicet viris iis ob oculos mira ignis, terræque conſenſio, quam ab orbe condito tot labentia ſæcula, ne puncto quidem temporis, interturbare potuerunt.

Ilia, quæ & Rhea, Numitoris, Albanorum Regis filia, cùm Romulum, ac Remum peperiſſet, ab Amulio patruo, qui Numitorem expulerat, viua defodi ad ripam Tiberis iuſſa, eidem nupſiſſe fluuio credita eſt; apud quem propterea de Iulij nece queritur, vt qui ad eam genus referret; nam, quemadmodùm Virgilius cânit:

Iulius à magno deductum nomen Iulo.

Iulus enim, dictus etiam Aſcanius, Æneæ Troiani filius, Albam condididit, vbi & regnauit primus. Ex eius porrò ſtirpe Albani Reges alij. Cur autem Ioue non probante, Tiberis Iulij cædem vlciſci ſcribitur, inquies, quandoquidem paulo antè idem Iupiter tam atrocia vibraſſe ſpicula narratur? Quia, ſi quid video, ad terrorem compoſita potiſſimùm erant ſpicula hæc, neque tantam inferebant Romæ cladem, quantam Tiberis exundatio, quam conſtat ſæpius fuiſſe

fuiſſe vrbi funeſtiſſimam; ea igitur, quippe nimia, muliebri tribuenda impotentiæ fuit.

Sanctæ Virgines, appellantur à Poëta Veſtales, ob virginitatis, virtutis enimverò Angelicæ, ſtudium, quod etſi perpetuum non erat, nam annis triginta duntaxat abſtinere à nuptiis cogebantur, quamvis multa forſan volverent interim animo turpia, imò & parum honeſta remotis arbitris perpetrarent, tanti tamen fiebat qualecumque hoc pudicitiæ ſimulacrum, vt parem diuinæ venerationem reportaret ab omnibus paſſim.

Apollo exorandus in primis videbatur Horatio; quòd & Romanos exiſtimaretur diligere, & ab Auguſto præ aliis coleretur. Augur autem hoc loco dicitur; non quòd captaret auguria, ſed quòd auguriis, diuinationique præeſſet: erat enim Apollo idem, atque Sol, mundi oculus, qui omnia videre, ac noſſe ferebatur.

Erycina, Æneæ Troiani mater, Venus; Iouis, ac Diones filia, quam proinde Virgilius Dionæam appellat: Poëta verò noſter, Erycinam, ab Eryce, Siciliæ monte, ex quo ſtatua eius delata Romam, & eximiis honoribus culta. Ridentem aptè venerem Horatius facit, cùm habeat comites Iocum, & Cupidinem, ſiue amorem: repudiatur à Chriſtianis ſapientibus tamen, illud Sapientis maturè perpendentibus effatum: *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat*. Prouerb. 14.

A venere gradum facit Horatius ad Martem, quem, ob Romulum, ac Remum filios, autorem Romani populi facit. Huic Deo bellum pro ludo eſt: bellum autem ciuile Poëta intelligit, quod iam Romæ fuerat multiplex. Bello adiunguntur galeæ leues, primâ ſyllabâ longâ, terſæ, politæ: ac Maurorum vultus, Romanis militibus initio terribiles,

vt eorum equis elephantorum quoque occursus mirum quantum terribilis.

Maia, Regis Mauritaniæ Atlantis filia, ex Ioue Mercurium peperit, quem noua metempsychosi transformat Poëta in Augustum, cuius obitum propterea reditûs in cœlum appellatione cohonestat. Verùm de Mercurio alia occasione pluribus; hîc sufficiat ea dicere quæ ad Horatij contextum explicandum necessaria sunt. *Siue mutatâ iuuenem figurâ, ales in terris imitaris almæ filius Maiæ, patiens vocari Cæsaris vltor*: Id est, ô Mercuri alate, qui delapsus è cœlo in terram es, & adolescentis Octauij vultum tantisper induisti, vt illatam Iulio necem vlciscereris, noli tam citò tuum orbem repetere, teque à conspectu Romanorum subducere, obsitorum flagitiis licèt; ne simul à nobis absit Octauius, cuius animum suspicimus, gloriamur triumphis, amamus clementiam, & nouas victorias de Medis insanientibus referendas expectamus.

Patiens vocari Cæsaris vltor. Hellenismus, figura videlicet, quæ ex Græca Syntaxi Latina vocabula ordinat. Videtur autem Horatius hellenismos affectasse de industria, nam crebri apud ipsum occurrunt: vt ostenderet se in venustissimæ linguæ studio sedulam operam apud Græcos posuisse. Hîc Latinè quis diceret: *Quipateris te vocari Cæsaris vltorem*: quasi vellet Poëta vltionem ab Augusto non expeti, est enim id profectò inhumanum; sed extorqueri potiùs, ob grauitatem alieni facinoris, & propriæ pietatis magnitudinem.

Populus Quirini, est populus Romuli, siuè Martis; neque enim Romulus tantùm, sed & Mars Quirinus appellatus est: Vtrumque vt parentem venerabatur populus Romanus: & id cuiuis erudito est notum. At rogatur Mercurius, vel certè Augustus, intersit,

intersit, seu ne absit à ciuibus, dummodò tamen lætus, siue propitius sit; nec se Principem exhibeat magis, quàm patriæ patrem De Medis quod additur, eo additum consilio putem, vt intelligat Cęsar, amouenda esse arma longiùs, & ab Italiæ, adeóque Europæ finibus, ad extremam Asiam generosè traducenda.

ODE III.

Ad Nauim, quâ vehebatur, petens Athenas, Virgilius.

SIc te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat Pater,
Obstrictis aliis, præter Iapyga,
Nauis quæ tibi creditum
Debes Virgilium: finibus Atticis
Reddas incolumen, precor,
Et serues animæ dimidium meæ.
Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum,
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Maior, tollere, seu ponere vult freta.

Quem

Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili.
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit:
Poſt ignem ætheriâ domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors;
Semotique priùs tarda neceſſitas
Lethi, corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aëra,
Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ, neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Venerem anteà diximus Iouis, ac Diones filiam. Verùm aliæ duæ ſunt, quarum vna cœli, ac diei filia eſt; altera cœli eiuſdem, & ſpumæ maris. Appellatur autem Venus potens, ſiue Domina Cypri, quòd ſub eius tutela ſit Inſula hæc, vt ad voluptates

omnes captandas mirè facta, & incolas continens in libidinem effusos.

Fratres Helenæ, Castor, & Pollux, Ledæ filij, qui quòd piratas fugassent aliquando, Dij maris habiti sunt. Colchos cum Argonautis profecti, dum viuerent, cum iisdem vellus aureum rapuerunt: sororem Helenam, à Theseo raptam, recuperarunt posteà: eandem à Paride raptam iterum, vnà cum cæteris Græciæ Principibus, repetituri, ad bellum Troianum profecti sunt, sed ex itinere in cœlum rapti, & astris aliis adscripti, signum Geminorum in Zodiaco effecerunt. Debent autem apparere nautis ambo; nam si alter eorum latet, tempestatis periculum est Id verò perperam Plinius de stellis intelligit; intelligendum enim de ignibus, vel in summo conspicuis malo, vel per varias nauis partes vagantibus, de quibus eruditè Fournerius noster, Hydrographiæ lib. 15. cap. 20. vbi sapienter monet, non duos duntaxat, sed plures etiam interdum apparere, nec beneficos semper esse, semperve maleficos. De iis iterum agam Ode 9. in qua Horatius præiuit malè Plinio; at non excusandus ideò hic, nam alius Poëtarum, alius naturalis historiæ scriptorum loquendi modus.

Ventorum pater Æolus est, quem ferunt regnasse quondam in insulis, Italiam inter, & Siciliam positis, quæ ab eo nuncupantur Æoliæ, ac Vulcaniæ à Vulcano. Fuit autem humanissimus erga hospites Æolus, quos & sustentabat opibus, & consiliis fouebat: quia verò, ex nubibus, & subterraneorum ignium fumo, ingruentes maris motus prædicere solitus erat, ventorum pater, imò & Deus appellatus ab Ethnicis fuit: eius munia, Æneid. lib. 1. graphicè describit Virgilius.

Iapyx ventus, idem est atque Apulus; nempe Apu-
lia

lia Iapygia quoque vocata eſt, ab Iapyge Dædali filio. Eſt autem Iapyx, ex ea Italiæ parte in Græciam tendenti, admodùm opportunus; flat enim ab occidente in orientem, vbi ſita eſt Græcia.

Attica, vnde Attici fines, prouincia Græciæ, dicta etiam Atte, ab Attide, Cranai, Athenarum Regis, filia; cùm priùs diceretur Acte, quaſi littus, quod Græcis ἀκτὴ eſt, ſiquidem mari adiacet; in ea erant Athenæ, quas petebat Virgilius.

Robur, & æs triplex circa pectus, metaphoricè dicitur, ſignificatque impauidum hominem, & ad pericula ſubeunda expeditum, qualis foret apud veteres in bello is, quem ærea lorica triplex tegeret: niſi velimus durius aliquid à Poëta intelligi; pectus ipſum videlicet, conflatum ex ære triplici totum.

Africus, de quo alibi, decertare Aquilonibus, phraſi Græca potiùs, quàm Latina ſcribitur; Græci enim datiuum hîc adhibent: Latini præpoſitione addita, vel accuſatiuum, vel certè ablatiuum. Porrò reprehendit Lambinus Horatium, quòd Aquiloni, non Cæciæ, Africum oppoſuerit: ſed mare fortaſſis nunquam viderit Lambinus, tempeſtates propterea expertus nullas fuerit: certè furunt omnes venti tunc ſæpius, nautarumque in regendis velis præuertunt diligentiam, alternatione præcipiti, quæ ventos omnes dum contrarios facit nauibus, etiam ſibi contrarios facit. Adhæc, Aquilones plurali numero in medium adducit Horatius, vt adducat, opinor, ventos omnes à media mundi parte concitatos, putà occaſu, ac meridie, objiciatque ventis aliis, à Septentrione, ortuque ſpirantibus. Nec te moueat, quòd vnum tantùm nominet; namque alibi haud rarò ſpeciem appellat vnicam, tametſi appellandum genus erat; vel genus, tametſi vnica ſpecies, & id ſua non caret venuſtate.

Hyades

Hyades filiæ Atlantis ex Æthra vxore, cùm Hyantem fratrem in venatione occisum deflerent, luctu contabuerunt, à Ioue inter stellas collocatæ; ita dictæ ab ὕειν, quod Græcis pluere est, quia quoties oriuntur, aut occidunt, pluuias inuehunt: imperitè nonnulli suculas vocant, quasi paruas sues, arbitrati earum appellationem deriuatam à voce Græca ὗς, quæ sus est Latinis: at ab aliis meliùs dicuntur Atlantides. Has multi volunt fuisse omninò septem: reperiuntur nihilominùs qui quinque duntaxat agnoscant, proindeque sorores earum nuncupatas esse Pleiadas, quòd plures quàm istæ forent. Priores tauri caput in cœlis occuparunt, posteriores dorsum: eas Latini Vergilias nominant: Galli, *la poussiniere, ou la poule, & les poussins*; oriuntur circa æquinoctium vernum; qua de re tamen consulendus Petauius noster, longè certiùs ortum istum definiens, quàm Cibenius, cuius fuit sententia illa prior.

Notus, à meridie flans ventus, oppositus Boreæ, à Latinis Auster dicitur; νότος enim vox Græca est: ideò arbiter Adriæ, quia ibi maximè sæuit, & pro arbitrio agit omnia. Nomen Adriæ tulisse in primis fertur vrbs in Italia nobilis, ad mare quondam exstructa, vnde posteà deriuatum sit in eam mediterranei partem, quæ tunc mare superum, nunc *Golfo di Venetia*. Nobis Gallicè, *Mer Adriatique, ou Golfe de Venise*. Notus porrò tollit freta, quando fluctus attollit: ponit autem, quando componit: vbi vides more poëtico pro compositis verbis vsurpata fuisse simplicia. Fluctus verò attolluntur, quando excitatur tempestas; componuntur etiam, quando eadem sedatur.

Acroceraunia, vox composita est, ex ἄκρον, & κεράυνιον.

κεραύνιον. Ἄκρον, extremum, summum, cuiusmodi est iugum montis, cacumen: & κεραύνιον, fulmine ictum; nam κεραυνός Græcis, est fulmen Latinis. Possunt igitur & scopuli, & montes plurimi Acroceraunia dici: vsus tamen apud veteres obtinuit, vt eo nomine appellarentur Epiri, seu Albaniæ: ita enim hodie nuncupantur altissimi montes, qui ad mare inde pertinent, Adriaticumque separant ab Ionio, naufragiis frequentibus nobiles. Hos Virgilius, aliique bene multi Ceraunia vocauere.

Nequicquam Deus abscidit, &c. Sensus est, frustra Mundi huius opifex terram à mari separauit, vt hominibus nominatim consuleret, si mare iidem quotidie sulcant, & vltro subeunt obiecta pericula.

Iapeti genus est Prometheus, Iapeti, & Asiæ Nymphæ filius, qui cùm hominem ex luto formasset, Mineruam noui operis admiratione defixit: quare spopondit illa è cęlestibus bonis, quidquid videretur ad operis perfectionem opportunum. Cúmque dixisset Prometheus ignorare se quid commodi bona illa continerent, in cœlum à Dea elatus, conspicatusque animata flammis omnia, rotæ solis ferulam admouit, qua incensa, secum detulit ignem, eoque simulacrum hominis à se factum animauit continuò: sed irati grauissimè Cœlites, Pandoram ad Epimetheum miserunt, Promethei fratrem; hic acceptam à Pandora pyxidem aperiens, malorum genus omne, in ea clausum, hominibus intulit. Nec immunis à supplicio singulari Prometheus; nam & Caucaso alligatus, & passus aquilam est, cor perpetuò vellicantem. Quæ quidem vniuersa, tametsi fabulosa sunt, ad verissimam tamen alludunt historiam, quam non vacat in præsentia persequi; tantùm moneo, Mythologorum Iapetum, Iaphetum esse, filium

Noemi



Noemi Patriarchæ, quem ipsi Titanem appellant, aiuntque à cœlo progenitum. Deducitur Iaphetus, Hebraicè Iaphet, à יפת, à פתה suadere, pellicere, in Kal, sed in hiphil, dilatare, præfixa, in formatione nominis, heemantica littera jod, quod facilè intelligunt linguæ sanctæ periti.

Dædali audaciam incredibilem Horatius inauditæ Promethei subiungit astutiæ: quanquam hac ætate repertus non nemo est, qui scribere non dubitarit, se modum docere posse, quo non homines duntaxat, verùm etiam naues, medio progrediantur in aëre, vnde in armatas acies, vel in vrbes mœnibus cinctas inuolent; quod si fieri potest, nihil supra humanam fidem tentarit olim Dædalus.

Acheron, inferorum fluuius, ab alpha, priuatiua particula, inquit Cibenius, & χαίρω gaudeo, quasi gaudij expers; sed repugnat manifestè Prosodia: ideò meliùs alij, Acheron, aiunt, quasi ἄχη ῥέων; est autem ἄχη pluralis numerus nominis ἄχος, tristitia, dolor. Cùm autem ἄχη sit nominatiuus pluralis contractus, malim ego non contractum ἄχεα, vt Acheron sit quasi ἄχεα ῥέων; tunc verò quartus erit casus ἄχεα, & ῥέων actiuè vsurpabitur; nisi quis malit, ne nouum loquendi modum inuehamus in Græciam, ellipsin hoc loco esse præpositionis περὶ; ita enim Acheron erit, περὶ ἄχεα ῥέων, vti dixit Basilius: περὶ τὸ χεῖρον ἐπιῤῥεῖ. Iam vt reuoluamur aliquando in orbitam, hunc fluuium Inferorum Hercules perrupit, seu traiecit, quando eò descendit, Amicum Theseum è vinculis erepturus, & ad nos traducturus canem Cerberum.

Stultitiâ cœlum petimus, id est, cœlites prouocamus flagitiis nostris, quod extremæ amentiæ est;

nam

nam inde aliud expectare possumus nihil, quàm horrenda supplicia flagitiis iis debita.

ODE IV.

Ad L. Sextium Consularem.

SOluitur acris hyems gratâ vice veris, & fauoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas:
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente lunâ,
Iunctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graues Cyclopum
Vulcanus ardens vrit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.
Nunc & in vmbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agnam, siue malit hœdum.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres, ô beate Sexti.

Vitæ

Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare
longam.
Iam te premet nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis Plutonia, quò simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet
iuuentus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

Describitur vernum tempus per abscessum hyemis, & accessum fauonij; aut certè per frigoris importuni abscessum, accessumque benigni caloris, qui nobis afflatur à zephyro; quem enim Latini fauonium, Græci zephyrum dicunt: hunc Poëtæ Deum faciunt, quem volunt duxisse vxorem Chlorim nympham, eique summum in flores contulisse imperium, ac Floram appellasse.

Carina, pars nauis infima est, sed pars pro toto hîc accipitur. Nulla autem per hyemem credebatur temerè mari nauis, verùm in littus omnes operosè subducebantur, & rursum, transacta hyeme, admotis machinis, agebantur in mare.

Cytherea Venus, à Cythera Insula, ad quam, in mari nata hæc Dea, primùm in concha deuecta est. Saltare noctu scribitur, tunc enim conspicitur imminens luna, vel ideò quòd terras Dij noctu peterent, ne oculis mortalium objicerentur; vel profectò meliùs, quia tenebras amant, qui saltationes exercent impudicas, præsertim vbi chori magister est Dæmon: nam quos habet Sagarum conuentus etiam nunc, eos nocte intempesta tantùm habet; in iis autem stata semper tripudia.

Gratiæ, Græcis, Charites; Iouis, & Autonoës filiæ; aut vt aliis placet, Bacchi, & Veneris; ferebantur

ſtantur tres eſſe; Aglaia, Thalia, Euphroſyne: Ἀγλαΐα, venuſta; nam ἀγλαὸς, idem ac ſplendidus, floridus, pulcher, quod pulchrum reuera, & illuſtre ſit, beneficiis deuincire ſibi homines: θάλεια, pullulans, virens; quòd marceſcere beneficia nunquam debeant, ſed virere perpetuò, & quaſi rediuiua pullulare: εὐφροσύνη, lætitia, nam εὔφρων, lætus, ac iucundus eſt, quòd iucundum quidem collatum in nos beneficium ſit, iucundius verò eſſe debeat collatum à nobis in alios. Pingebantur nudæ Gratiæ, ſiquidem à beneficiis ſimulationem, & fucum omnem abeſſe neceſſe eſt. Auerſa erat vna conuerſæ ad nos duæ; vt datorum munerum ſimus parum memores, at multùm acceptorum. Sibi mutuò adhærebant, vt innuerent, certandum inter homines beneficentia eſſe, quo perpetuum fiat bonorum commercium. Virginitatem profitebantur, & meritò: nam beneficus non eſt, qui dando exigit, aut ſpectat aliquid turpe. Hinc decentes gratias appellauit Horatius; quia nec dare, nec accipere licet, niſi quo l decet vel dare, vel accipere. Atenim veneri iunguntur ab eo, inquies? Iunguntur, inquam: ſed Venus tunc nihil ſonat, niſi amorem & venuſtatem, ne Gratiis videatur minùs digna: præſerim quia ibi adſunt Nymphæ, à labe vel minima plurimùm abhorrentes: idcircò ſi nocte ſaltant, non ad quærendas tenebras, quòd anteà ſenſiſſe videbamur, ſed ad iucundum noctis frigus captandum haud dubiè ſaltant.

Cyclopum officinas, in Ætna, Siciliæ monte, aliqui ſtatuunt, alij verò in Æoliis inſulis; quia vtrobique ſub terra vigent ignes perpetui, qui non ſine grauiſſimo accolarum pauore, ac periculo erumpunt identidem. Fuere Cyclopes, Neptuni, & Am-

phitrites, filij, numero plures; tres tamen à Virgilio nominantur, omnium famosissimi, Brontes, Steropes, & Pyracmon. Cyclopes dicti, quasi κύκλῳ ὦπες, quòd sphæricum, siue orbiculatum oculum vnicum in fronte haberent. Hos Apollo sagittis confixit, ob fabricatum Iouis fulmen, quo detrusus ad tartara erat filius eius Æsculapius.

Vulcanus, aut Iouis, Iunonisque filius, Mulciber etiam dictus, qui graues Cyclopum, quibus præest, officinas vrit, quando vehementissimum accendit ignem ibi; aut certè ignis ipsemet, per figuram, quam Grammatici Metonymiam appellant. Ideò verò tam ardens ignis vere; quia paranda in æstatem, & Autumnum fulmina, vix vnquam copioso igne carentia.

Caput myrto impedire, est myrteam coronam imponere capiti. Coronas Antiqui Diis primùm consecrarunt; posteà, concesserunt etiam iis, qui essent sacrificium oblaturi: postremò, quia sacrificium excipiebant haud raro epulæ, in suis quoque sympofiis coronas vsurparunt. Atqui nunc Poëta Sextium ad hilaritatem inuitat, proponitque sacrificium patrium, cui de more adhæsura erat compotatio. Iam myrtum lætitiæ, & hilaritati accommodatam esse maximè, nemo est qui non facilè videat; est enim & semper virens myrtus, & odorem haud ingratum exhalans. Huic adduntur ex terra frigore soluta, liberáque, flores varij, qui tum propter nouitatem, tum propter elegantiam, solent accepti esse omnes.

Faunus filius fuit Pici, & pater Latini Regis; Aliqui tamen filium Martis faciunt: neque id nouum; nam vt fabulosa est, ita & fluctuans Deorum genealogia, nunquam enim mendacium sibi constat.

Lucus

Lucus est Latinis, quod ἄλσος Græcis, Plutarcho ipso teste, qui de Romanis loquens ait: τὰ δ᾽ ἄλση λούκους ὀνομάζουσι. dictus lucus, quòd minimè luceat, per antiphrasim; est enim opacum, atque vmbrosum nemus, numini cuipiam consecratum: atqui Fauno consecrandum in primis erat, quia solebat in locis huiusmodi Faunus responsa sua dare Rusticis, vtpote Rusticorum Deus, & rusticorum numinum parens, faunorum, panum, syluanorum, & satyrorum, quos omnes susceperat ex vxore, sororeque sua Fauna: ei noctu matronæ Romanæ solæ propterea sacrificabant, quòd nemo illam, dum vixit, præter virum suum, mas vnquam conspexerit; nemo item nomen eius audierit: quare, tametsi & fauna, & fatua, & Senta dicebatur, ea tamen silentio premebant matronæ tunc nomina, & Bonam deam duntaxat appellabant.

Iam te premet nox, fabulæque manes, & domus exilis Plutonia. Hinc breui descendes ad tartara, siue breui morieris. Noctis voce, mors adumbratur egregiè; quamobrem non mirum si dixerit Christus Dominus, Ioan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Nam venit nox, est, venit mors: post mortem enim omninò cessant vitæ huius opera, de quibus ibi sermo. At, quid fabulæ manes? Non nemo è Criticis legendum esse censet: Fabulæ inanes. Verùm inanis apparet commentatio hæc, vt quæ inanem offerat sensum. Ad hæc, exponenda commodè scriptorum verba non immutanda pro nutu: Manes igitur, siue vitâ functorum animos, fabulas puta; non quòd absint à natura penitùs, & in rebus consistere desinant: id enim sentire, pecudum potiùs, quàm hominum fit: nam quis probro sibi non ducat communionem putidam mutorum animalium? Sed quòd status ani-

morum huiuſmodi, multa offerat affinia fabulis, ex mente Poëtarum, qualia ſunt, cerberus, charon, ſaxum Siſyphi, rota Ixionis, & ſimilia.

Plutoniam domum pro ſepulchro poſitam arbitratur Ioannes Butgerſius, quòd exilis nuncupata fuerit, ſepulchrum autem exile ſit: at Plutonem veteres nunquam poſuere in ſepulchro, ſed in Tartaro, qui reuera exilis, habita tot improborum eò vndique confluentium ratione: ideò domus Plutonia Tartarus erit. Dionyſius Lambinus vult exilem domum dici, quòd eius incolæ, manes ſcilicet, & vmbræ, ſint exiles, atque tenues; & confirmat Maronis teſtimonio, domos ditis vacuas, & inania regna canentis; at quod vacuum, & inane, non continuò exile, & anguſtum eſt: nam extra empyreum, inania, vacuaque ſpatia plerique Philoſophi ſtatuunt, quæ nihilominus docent eſſe immenſa; ſed exilis Tartarus in media terra poſitus, & limitibus circumſcriptus exiguis. *Quò ſimul mearis*, inquit Horatius; ideſt, poſtquam eò perueneris. *Nec regna vini ſortiere talis, nec tenerum lycidam mirabere.* Neque vino, neque veneri deinceps indulgebis: ex quo conſequens eſſe vult, vtrique dandam operam: nempe ignorabat futura tum bona, tum mala, homo ethnicus, & ſenſus dumtaxat ſuos more pecudis conſulebat: quid enim aliud faceret Epicuri de grege porcus? Chriſti contrà diſcipulus fugienda eſſe intelligit oblectamenta illa vilia, quæ breuem voluptatem pariant, & æternum cruciatum. De regnis vini diſputabitur lib. 2. Tantùm hîc moneo adhibitos ad creandum conuiuij Regem, quem Architriclinum Ioannes Euangeliſta nominat, temperantiæ ſeruandæ gratia, talos, vti clarè nunc Poëta ſignificat, qui ſubinde lycidam puerum obijciens, nihil præter decorum ait: nihil enim Interpretes quoſdam moror, quos ſcarabæis pilularibus comparare

comparare iure possis: quippe alienum ab honestate non est, si pulchrum eximiè, mirentur viri; diligant æquales pueri; puellæ verò nubiles, vbi adoleuerit, ament, non sine verecundia tamen: huiusmodi discrimen indicaturus Horatius, calorem illis, his teporem tantùm tribuit.

O D E V.

Ad M. Vipsanium Agrippam.

SCriberis Vario fortis, & hostium
Victor, mæonij carminis alite,
Quam rem cunque ferox, nauibus, aut equis,
  Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec grauē
Pelidæ stomachum, cedere nescij,
Nec cursus duplicis per mare Vlyssei,
  Nec sæuam Pelopis domum,
Conamur, tenues grandia; dum pudor,
Imbellisque lyræ Musa potens vetat
Laudes egregij Cæsaris, & tuas,
  Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Dignè scripserit; aut puluere troico
Nigrum Merionem; aut ope Palladis,
  Tydiden Superis parem?

Scribêris Vario fortis, & hostium victor, Varius, ô Agrippa, magnitudinem animi tui, reportatasque de populi Romani hostibus victorias, celebrabit. Nam,

scribêris Vario, idem ac, scribêris à Vario. Fuit autem Varius, epicus Poëta insignis. Vnde subditur: *Mæonij carminis alite.* Lambinus, ex mente Passeratij, legere mallet, aliti: vt Varius diceretur ales Mæonij, siue Homerici carminis: Homerus enim, quemadmodùm existimarunt multi, è Mæonia, siue Lydia, oriundus fuit: iam ales, Varius, ob styli sublimitatem. Sed quia, in manu exaratis, & prelo subiectis codicibus, nunquam non occurrit, *alite.* Dixerim ego, alite positum pro alitibus, per enallagem numeri: bonis igitur, ac faustis, alitibus, siue auibus, laudandus erat à Vario, Agrippa, & quidem Homericis, heroicisve versibus; tametsi modus iste loquendi est insolens: verùm insolentes in Horatio alij multi.

Quam rem cunque ferox, nauibus, aut equis, miles, te duce, gesserit. Imperatori, siue duci exercitus, tribuitur quicquid à militibus præclarè gestum fuerit, & meritò sanè: iis enim ille & agendi viam aperit, & animos addit. Quam rem cunque, pro quamcunque rem. Figura Grammatica, tmesis, non semel apud Poëtas occurrens. Porrò cùm ait Horatius; nauibus, aut equis: significat Agrippam, maritima terrestrique militia, inclytum extitisse: qua de re consulendi Appianus, ac Dio.

Pelides, filius Pelei, nepos Æaci, Achilles, quem infantem Thetis mater stygiis aquis immersit, eaque arte, ab omni vulnere tutas fecit quascunque partes corporis, si vnam illam excipias, qua fuit comprehensus, dum ablueretur. Et hæc opinor, causa potissima fuerit inauditæ adolescentis ferociæ, quam ne dij quidem ipsi facilè represserunt. Vocatur autem ferocia ea, vel ferociæ comes ira, stomachus metonymicè; vnde stomachor, verbum. Stomachi autem nomine, ventriculum intellige, in quem è cista, iecori adhærente, bilis flaua effunditur, quæ feruet vbi accenditur ira.

Vlysses,

Vlyſſes, Laërtis, vel Siſyphi certè filius, Græcorum aſtutiſſimus, quem ideò duplicem Poëta hoc loco appellat: Homerus πολύτροπον, multos annos, à capta Troia, in mari errauit, vti pluribus docet idem Homerus. Qui de Vlyſſe, aut Achille, quærit plura Iliadem, & odyſſeam euoluat; in hac de Vlyſſe, in illa de Achille inueniet, vel facta, vel ficta non pauca.

Pelops, Tantali Phrygiæ Regis filius fuit, quem pater, cùm Deos excepiſſet conuiuio, membratim concisum, coctumque, iiſdem appoſuit. Verùm dij, feralem cibum auerſati, collectis è veſtigio membris rurſum animam immiſerunt: ſed quia deerat humerus, eum enim vorauerat ceres, eburneum alium ſuſfecerunt; dein Tantalum detruſerunt ad tartara, ſiti perpetua, vt par erat, cruciandum. Domus autem, ſeu familia Pelopis, non propter Tantali duntaxat ſcelus, dicitur ſæua: nam Atreus, Pelopis filius, Thyeſti fratri comedendos obiecit proprios liberos: Thyeſtes Ægiſtum genuit ex filia Pelopea; hic Atreum, & ab Atreo genitum Agamemnonem interemit: Oreſtes item Ægiſtum, & matrem ſuam, vxorem Agamemnonis, Clytemneſtram.

Muſa potens lyræ imbellis; eſt Poëtica facultas ad condendos verſus lyricos non valdè accommodata. Laudes deterere; non eâ, quâ deceret, verborum elegantiâ, copiáque famam ornare. Culpâ ingeni, pro ingenij eſt apocope.

Martis tunicam Horatius adamantinam dicit, quo ſignificet, omninò impenetrabilem. Lambinus vult expreſſum ab eo epithetō Homericum χαλκοχίτωνα: ſed id minimè neceſſarium; potuit enim Loricam duriſſimam, proindéque reapſe adamantinam, bellatorum duriſſimo, ipſiuſque belli Deo, aptè ad eius indolem, congruentérque affingere.

Merionem puluere troico nigrum, seu conspersum, ac sordidatum exhibet Horatius, quòd fortissimus is miles esset, & in medios hostes audacter incurreret. Erat, apud Troiam, Idomenei, Cretensium Regis, amicus, & socius.

Tydides, patronymicum, idem ac filius Tydei: Tydeus autem filius fuit Oenei, Ætoliæ, siue Calydoniæ, Regis. Est Ætolia, Græciæ prouincia, Epiro vicina, vnde noster Tydides nuncupatus ab Ouidio est Ætolius heros; propriè, Diomedes. Hunc ideò Superis parem esse scribit Poëta, quòd in bello Troiano, cui cum cæteris Principibus Græciæ interfuit, non venerem duntaxat, sed & Martem ipsummet vulnerauerit: sic autem non par tantùm, sed & superior etiam præclaris illis Diis videri Diomedes potuit, quanquam non tulit iniuriam illatam impunè; Venus enim vxori eius Ægialæ tantum immisit ardorem libidinis, vt cyllabarum nescio quem optaret adulterum, & viro insidias faceret. Idcircò nauigauit ille in Italiam, vbi ab Ænea interfectum aiunt aliqui, à Dauno Rege alij; socios verò eius, in aues Diomedeas conuersos: eas Aldrouandus, Ornithol. tom. 3. Arbitratur eas esse, quas alunt etiam nunc in mari Adriatico Diomedeæ insulæ duæ, & Artennas voce patria nominant.

ODE

ODE VI.

Ad Munatium Plancum Conſularem.

LAudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi
Mœnia; vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Inſignes, aut Theſſala Tempe.
Sunt quibus vnum opus eſt intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuo celebrare; &
Vndique decerptæ frondi præponere oliuã.
Plurimus, in Iunonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, diteſq; Mycenas,
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.
Albus vt obſcuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos; ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæque labores,
Molli, Plance mero: ſeu te fulgentia ſignis
Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit
Tiburis vmbra tui. Teucer Salamina, patremque

Cùm fulgeret, tamen vda lyæo
Tempora populeâ fertur vinxiſſe coronâ,
Sic triſtes affatus Amicos:
Quo nos cunque feret melior fortuna parẽte,
Ibimus, ô ſocij, comiteſque.
Nil deſperandum, Teucro duce, & auſpice Teucro:
Certus enim promiſit Apollo,
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.
O fortes, peioraque paſſi
Mecúm ſæpe viri, nunc vino pellite curas.
Cras ingens iterabimus æquor.

Rhodus, Mediterranei maris inſula, Solis ſimulacro inuſitatæ magnitudinis, κολοσσὸν Græci dicunt, fuit quondam inſignis: vnde & Rhodios Coloſſenſes ab Apoſtolo nuncupatos quidam autumant, ſed perperam profectò, ſic enim nuncupati à Coloſſis, Phrygiæ ciuitate, quæ cum vicina Laodicea, terræmotu concidit, Nerone Romanis imperante. Claram meritò apppellant Rhodum ij, qui quotidie ibi Solem conſpici aiunt, vnde nata proculdubio fabula, qua finguntur Dij orbem olim terrarum diuiſiſſe, nulla Solis tum abſentis habita ratione: Iouem autem, vbi id animaduertiſſet, rurſum diuidi voluiſſe; reclamaſſe verò Solem, petiiſſéque, latentem priùs Rhodum, ignotamque propterea, concedi ſibi vnam, & Iouem cæteroſque annuiſſe.

Mitylene, vrbs in ampliſſima Ægei maris inſula, Lesbo; hanc Mitylenas Tullius plurali numero vocat. Nomen traxiſſe ſcribunt à Mitylene, filia Macarei, à quo Lesbum Macariam dictam volunt.

Epheſus.

Ephesus, nobilissima Ioniæ, minoris Asiæ hæc regio est, ab Amazonibus extructa, ciuitas, in qua templum Dianæ celeberrimum, recenseri solitum inter septem mundi huius miracula, de quibus inter alios Poëta Martialis,& interpretes eius varij.

Corinthus, vrbs Achaiæ, siue Peloponesi, quæ quòd in angustiis, atque in Faucibus Græciæ sit, duo maria diuersa, Ionium, & Ægeum, pænè coniungit, cùm pertenui discrimine separentur. Corinthum Romani euerterant, potentiam eius veriti: sed Augustus eandem reparauit. Vt bimarem appellat latinè Horatius, ita Græcè alij διθάλασσον, & ἀμφιθάλασσον.

Thebæ, à Cadmo, Agenoris filio, in Bœotia conditæ: Bœotiam is nominauit eam Græcæ prouinciam, quòd in ea hæsisset, Europam sororem quærens, à Ioue, sub bouis forma delitescente, raptam. Atqui Baccho ideò Deditæ Thebæ, quia ibi nata est Cadmi filia, & Bacchi mater, Semele.

Delphi oppidum est Phocidis, in monte Parnasso situm, in eo templum Apollinis, ad quod plurimi confluebant, oraculum consulturi. Phocidem, exiguam Græciæ regionem intellige, Bœotiam inter, & Ætoliam, vbi Castalius fons, & Cephisus fluuius, Poëtis veteribus noti.

Tempe, amœnus Thessaliæ, inter montes amœnis arboribus consitos, locus, per quem amnis Peneus fluit. Thessalia porrò, Græciæ prouincia est, à Rege Thessalo dicta, Thraciæ, Atticę, Bœotię, Macedonięque, finitima.

Vrbs Palladis, Athenæ, totius Atticæ Metropolis: nomen dedit Pallas, seu Minerua, quæ Græcis est Ἀθήνη, quasi ἀθήλη, quòd θηλὴν, siue mammam non suxerit; est enim è cerebro Iouis

nata. Huic Rhodij, à Sole moniti, sacra fecere omnium primi, sed cùm præ festinatione obliti essent ignem, eum ad sua postmodùm Athenienses ritè adhibuerunt, idcircò, vt erat in fatis, apud Athenienses commorata est Pallas. Alij aliam afferunt impositi nominis rationem, cum Neptuno certamen videlicet, in quo victrix Pallas extitit: Neptunus enim equum, Pallas oleam produxit, quæ, quo ad vitam tolerandam vtilior, eo iudicata est melior. Dicta παλλὰς, Dea hæc, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, idest, à vibranda hasta; nempe vt artium, ita & bellorum existimata est præses.

Argos, vrbs Achaiæ, non longè à Mycenis dissita; ibi equi præstantissimi alebantur. Mycenas Virgilius Agamemnonias nominat, ab earum Rege Agamemnone, Atrei filio, & Pelopis nepote. Mycenarum conditor scribitur Perseus, Iouis filius, Acrisij, Argiuorum Regis, nepos, qui, obiecto Medusæ Gorgonis capite, statim eum in saxum commutauit, iniuriæ olim sibi, matrique illatæ, memor. Hyginus ait Acrisium, disco Persei, à vento fortè delati, occisum.

Lacedæmon, vrbs Peloponesi, admodùm inclyta, quam haud rarò & Spartam appellant, à Sparto, Phoronei filio, & Lacedæmone, filio Iouis, appellationem sortita: horum alterum, autorem vrbis, restitutorem alterum fuisse oportuit. Patiens Lacedæmon, ex institutione puerorum nominatim, quæ tota erat posita in disciplina patientiæ; siquidem ij ad aram sic verberibus accipiebãtur, inquit locuples testis Tullius, vt multus è visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam, vt cùm ibi esset, audiebat, ad necem: quorum non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem.

Larissa, Thessaliæ ciuitas, non procul à Pthia,

vrbe Achillis patria,qui propterea tum Phthius,tum Larissæus, à Poëtis cognominatur.

Albunea, fons, & nemus iuxta fluuium Anienem, qui celsa è rupe scaturiens, inter Sabinos, Romanosque medius, in Tiberim labitur præceps. Albuneam porrò aiunt, ab eiusdem appellationis fatidica Nympha, cui sacer locus fuit, retulisse apud veteres nomen.

Tiburnus, alij Tiburtum vocant, Catylli, Thebani vatis, filius, Tibur, vnà cum fratribus duobus, Corace, & Catyllo, extruxit, in latio, sex circiter ab vrbe Roma leucis: vbi lucum, & pomaria iure locat Horatius, ob agri Tiburtini bonitatem, & aquarum vndique affluentium copiam.

Albus Notus, in præsentia, vti priùs, libro isto, pallida mors: hæc facit pallidos homines, album ille, ac serenum cœlum, vel vacuum planè nubibus, vel albentibus, ac propterea plerumque sterilibus, aspersum temerè, non autem vbique obductum nigris, & aqua pluuia refertis: quanquam, vt rectè Poëta significat, non perpetuum id; nam & à Noto illo albo, imbres etiam identidem copiosi.

Teucer, Æaci nepos, filius Telamonis, ex Hesiona Laomedontis Regis filia, quam acceperat ab Hercule, quòd primus murum Ilij conscendisset. Hic igitur, cùm regnaret in Attica iam senex, Teucrum filium, ex bello Troiano redeuntem, non recepit, vel ignauum arbitratus, vel fraternæ insuper necis conscium; quare profugit in Cyprum Insulam Teucer, & in ea cognominem patriæ suæ Salamina constituit.

Lyæus, Bacchus, metonymicè pro vino, quod soluit, & liberat hominem curis à verbo Græco, λύω; id Latinis est, soluo. Cur autem vino madidus Teucer coronam gestarit ex populo arbore, quam

constat Herculi esse sacram, quærunt aliqui: respondendum his fuerit, Baccho quoque addictam planè populum; siue quia Bacchus æquè infernus Deus, atque Hercules: siue quia vnus & idem Deus Bacchus, atque Hercules: vel etiam quia maritandis vitibus adhibetur sæpe populus. Cras ingens iterabimus æquor; Gallicè: *Demain nous nous remettrons en haute mer.* Nam æquor iterare, est conscendere iterum, ac vela facere, & in altum prouehi.

ODE VII.

Ad Thaliarchum.

VIdes vt alta stet niue candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Siluæ laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.
Dissolue frigus, ligna super foco
Largè reponens, atque benigniùs
Deprome quadrimum sabina,
O Thaliarchæ, merum diota.
Permitte Diuis cætera, qui simul
Strauere ventos, æquore feruido
Depræliantes, nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.

Soracte, mons in Faliscis, Apollini quondam sacer, nunc autem Siluestro I. P. M. qui ante ablutum lustralibus aquis Romanorum Imp. Constantinum, in eo aliquandiu delituit, vocaturque propterea nunc,

nunc *Monte ſan Silueſtro*, ab Italis, à quibus pridem religioſè eſt cultus.

Siluæ laborantes non ſuſtinent onus ſemper; interdum enim tantum aut niuis, aut glaciei pondus incumbit in arbores, vt frangantur tandem rami; quod & vidi ego factum Viennæ apud Allobroges, & in Sebuſianis eueniſſe pariter à teſtibus oculatis audiui.

Acutum gelu, quia pungit: pungunt nempe, quæ acuta ſunt. Vnde autem pungendi vim habeat, an à corpuſculis in cuſpidem deſinentibus, in corpus intromiſſis; an verò à qualitate aliqua, cutem extimam lancinante; viderint recentioris Philoſophiæ, præſertim Epicureæ, ſtudioſi.

Diota Sabina, eſt amphora fictilis, è Sabinorum regione aduecta. Sunt Sabini, veteres Italiæ populi Vicini Latinis, à Sabo, gentis autore appellati potiùs, quàm ab exotica voce σέβειν, quam videntur ignoraſſe. Nam Sabini nomen Latinum eſt, diota porrò Græcum, quaſi δύο ὦτα, duæ aures, ansæ duæ videlicet, quibus vtrinque capi poſſit. In huiuſmodi amphoris ſeruabantur diu vina, quæ in doliis noſtris, aut ligni, aut aëris, aut circumiectarum rerum aliarum, vitium ſentiunt breui.

Thaliarchus, θαλίας ἀρχός, θαλία, ſeu θάλεια feſtiuitas, lætitia, viriditas. Ἀρχός, Princeps: erit igitur Thaliarchus, feſtiui conuiuij moderator, & bibendi arbiter, cuius proprium nomen, prudens tacet Horatius, qui dum ait: *Permitte Diuis catera.* Diuinæ prouidentiæ ſenſum aliquem oſtendit; eam tamen omninò tollebat Epicurus, cuius hic exiſtimatur fuiſſe diſciplina imbutus: At facilè Horatianum iſtud Epicurus vſurpauerit, vt & alius quiuis de ſchola eiuſdem Philoſophi, ſi tamen eſt Philoſo-

phi

phi appellatione dignus; etiam qui diuis permittit ea, quorum curam suscipere non vult, significat ea, vt sibi, sic aliis, posse esse ἀδιάφορα.

ODE VIII.

In Mercurium.

MErcuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decoræ
More Palæstræ.
Te canam, magni Iouis, & Deorum
Nuntium, curuæque lyræ parentem;
Callidum, quicquid placuit iocoso
Condere furto.
Te, boues olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus Pharetra
Risit Apollo.
Quin & Atridas duce te superbos
Ilio diues Priamus relicto,
Thessalosque ignes, & iniqua Troiæ
Castra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque leuem coërces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus, & imis.

Mercurius

Mercurius, inquiunt Grammatici quidam veteres, quasi medicurrius, quòd sermonis existimaretur Deus; aut mercium cura, quòd negotiationi præesse similiter diceretur.

Facundus Mercurius, nam sermonis facundia est: ideò qui Mercurius Latinis, quòd sermo med'us inter homines currens, componat lites, pacemque conciliet: idem Græcis est ἑρμῆς, vel ab εἴρω, dico, tametsi repugnat spiritus; vel, quod malim, ab ἑρμηνεύω, interpretor; Mercurius enim fingebatur Deorum interpres, ac nuntius.

Nepos Atlantis, quia filius Maiæ, Atlantis, Arcadiæ Regis, filiæ: nepos enim, non est fratris, sororisve, sed filij, filiæve, filius, Gallicè, *petit fils*. Fuit Atlas alius Mauritaniæ Rex, quem Perseus, ob negatum sibi hospitium, obiecto Medusæ capite in montem eiusdem nominis conuertit: sed non pertinet hic Atlas ad Mercurium, vt nec Atlas alter, electræ Pater, Italiæ Rex.

Feros cultus hominum, intellige agrestes, ac planè barbaros mores, quos perpoliuit, mitigauitque palæstra, & musica: sunt enim, qui vocem modulatam hîc accipiant, quanquam nihil vetat hærere nos in eloquentia, quæ verè flexanima est, longéque plus potest, quàm musica: si quis tamen hanc illi à Mercurio adiunctam fuisse voluerit, adstipulatorem me habebit haud inuitum.

Catus, acutus, solers, callidus: Sabinum vocabulum esse docuit Varro; dixerim ego nihilominus videri etiam Latinum: quidni enim sit idem atque cautus à caueo? Nam catus, æquè vt cautus, ille est, qui diligenter, & astutè, cauet, quidquid sibi noxium est, id cùm felis faciat maximè & singularem prætereà industriam ad mures capiendos adhibeat, iure

iure à maioribus nostris appellatus est catus.

Lyræ parentem, siue inuentorem Mercurium Phornutus dictum putat, ob symphoniam, quæ symbolum est concordiæ; orationis, seu sermonis beneficio inter homines coalescentis. Curua autem proculdubio lyra erit, si designarit instrumentum illud, quod nobis vernaculè, *harpe*. Nam illud manifestè est curuum: ipsum autem, præ aliis, Mercurio libenter adscripserim: tum quia omnium aliorum, mea quidem sententia, pulcherrimum visu est, tum quia auditu iucundissimum, solumque regiis manibus dignum.

Furtis creditus præsidere Mercurius, ideò sub eius tutela erant fures: etsi autem ioco tantùm capere scribitur, fures tamen capiunt plerumque seriò. Iam, callidus condere, modus loquendi Græcus; nam Græci, quòd gerundiis, ac supinis careant, vtuntur præsenti, vel præterito infinitiui.

Boues Admeti Thessaliæ Regis Apollo pascebat; clam abductas à Mercurio expostulans, sentit ab eo ereptam престереà sibi pharetram: quare in risum solutus, in furem adeò lepidum nihil duxit statuendum acerbius. Est autem πολύμορφος Mercurius; idcircò decepturus Apollinem tunc, bubulci pueri habitum, personamque induerat, ita vt à nemine agnosceretur, putareturque esse Mercurius.

Atridæ, filij Atrei, Agamemnon, Mycenarum Rex, & Menelaus, Rex Spartæ, cum proceribus Græcorum aliis, Troiam vrbem obsidebant, quando Rex vrbis eiusdem Priamus, Mercurio duce, per media illorum castra, positasque ab Achille Thessalorum popularium excubias, ad ipsum, nulli notus, penetrauit, vt Hectoris filij corpus ab eo redimeret.

Lætæ sedes, elysij campi, apud inferos, in quibus versari arbitrabantur piorum animas, ignari futuræ

Mortalium Anastaseos, ethnici, qui tamen eximias quasdam in cœlum euehebant; has Mercurius, aliasque planè omnes, quas leuem turbam appellat Poëta, regebat caduceo, quæ virga aurea erat, serpentibus duobus implicata.

ODE IX.

Ad Augustinum.

QVem virum, aut heroa, lyra vel acri
Tibia, sumes celebrare Clio?
Quem Deum, cuius recinet iocosa
Nomen imago.
Aut in vmbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidóre in Hæmo?
Vnde vocalem temerè insecutæ
Orphea siluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, & terras, variisque mundum
Temperat horis?
Vnde nil maius generatur ipso,
Nec viget quicquam simile, aut secundum;
Proximos illi tamen occupauit

Pallas

Pallas honores.
Præliis audax neque te silebo.
Liber, & sæuis inimica virgo
Belluis, nec te metuende certa
Phœbe sagitta.
Dicam & Alciden, pueros que Lædæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem, quorum simul alba Nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor.
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax, quòd sic voluere, ponto
Vnda recumbit.
Romulum post hos priùs, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, & Scauros, animæque magnæ
Prodigum Paulum, superante pœno,
Gratus insigni referam camœna;
Fabriciumque:
Hunc, & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.
Crescit occulto velut arbor æuo
Fama Marcelli; micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Gentis humanæ Pàter, atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data; tu secundo
Cæsare regnes.
Ille, seu Parthos latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,
Siue subiectos orientis oræ
Seras, & Indos;
Te minor latum reget æquus orbem:
Tu graui curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina terris.

Clio, è nouem Musis vna, dicta κλείω, à κλείειν, dare, celebrare: sorores habet Euterpem, Melnenem, Thaliam, Polyhymniam, Erato, Terpsirem, Vraniam, & Calliopem: parentes, Iouem, Mnemosynen, seu memoriam; vel ,, ex quorun sententia, cœlum & terram, vt Phornutus teur, qui & varias de Musarum earundem numero icit opiniones; verùm eas videntur eruditi plee ignorasse, vel certè neglexisse.

Discrimen facit Horatius inter virum, & heroëm, heroa; siquidem heros, non est vir quilibet, veis dumtaxat, qui credatur inter Diuos relatus, antiquo; nobis, *demy-Dieu*. Dictus ἥρως, ab quæ, ex fabula, Iuno: extra fabulam ἀήρ; Latinum, aër: quia in summo aëre, aut cœlo io, figebant heroum sedem. Celebrandi heroës, vt bellicosi homines; & lyra, vt in consorDeorum adscripti. Porrò, sumes celebrare, helius est, siue modus loquendi, Græcus, Latinè

qui

quis meliùs dicat; celebrandum, siue laudibus efferendum, suscipies.

Imago iocosa, echo: Græcis, ἠχώ, & ἦχος, est sonus. Tamen echo, non sonus Latinis quilibet, sed resultans duntaxat ex priore alio. Apud Hyginum, Fabul. 160. Echo, Nympha est, Mercurij filia.

Helicon, mons Bœotiæ, sacer Musis: in eo fons, qui Persio Caballinus, quia Pegasi equi vngula elicitus: equus autem, etiam caballus appellatur. Fontem Græci, dixere hippocrenem: nam ἵππος, ipsis, equus est; & κρήνη, seu crene, fons.

Pindus, mons Thessaliæ, Acarnaniam ab Ætolia diuidens, Lapitharum olim sedes: Hæmus autem mons Thraciæ: hic Bacchum, & Mænades, Apollinem ille, & Musas, potissimùm spectat.

Orpheus, Apollinis, & Calliopes, aut, vt aliis placet, Oeagri, & Polyhymniæ filius fuit, qui radicitus auulsas arbores secum fingitur abduxisse: vel ideò, quia eximiè pulsabat cytharam; vel certè ideò quia, vt notat Pausanias, callebat artem magicam, eáque hominum oculis petulanter illudebat: & id videtur significare voluisse Horatius, dum vocalem appellauit, quem occultis carminibus quæ proferret existimauit plurimùm valuisse: tametsi ad vocem, fides etiam adhibuit. Propterea eum nobis objicit blandum quercus ducere; siue gnarum ducendi, agendique quercus illas, blanditiis, & suauitate cantus: vel quemadmodùm monui, carminibus magicis, quibus tamen impedire non potuit, quo minus à furentibus mulierculis, inter magica carmina, & sacra bacchica, laceraretur.

Quid prius dicam solitis parentis laudibus, parens ille, citra vllam dubitationem Iupiter, cuius, inter alia,

ilia, sunt ὥραι, sic enim Græci nuncupant qua-
uor partes anni, ver, æstatem, autumnum, & hye-
nem, quarum vna temperat aliam, dum molestias
b ea creatas lenit: ver enim, frigus hyemis mitiat, humorem veris minuit æstas, æstatis siccita-
m autumnus, & hyems, autumni calorem.

Pallas, Ioui, siue Deo opt. max. cui nihil simile,
it secundum est, adiungitur tamen socia, quia pars
uædam, vt ita loquar, Dei est. Nam Poëtæ, qui
rtassis de sapientia æterna legerant id, quod ha-
tur Ecclesiastici cap.24. *Ego ex ore Altissimi prodi-
, primogenita ante omnem creaturam.* Censebant
m maximè ad Altissimum pertinere; Palladem à vi
llica, in qua præcipuè fortitudo se prodit, soler-
ique, appellabant, & fingebant è Iouis cerebro
tam: quippe suam qualemcunque Theologiam
dere soliti per symbola, quæ non nihil fabulosi
petuò inuoluebant: sed scopum hîc fermè ipsos
igisse docet Phornutus, de natura Deorum, quan-
ait: Minerua, quæ Græcorum est Pallas, est Io-
intellectus, haudquaquam diuersa existens quæ
i inest prudentiæ. Phornutus igitur Palladem à
s intellectu non distinguit, nec Iouis intelle-
ı à prudentia, siue sapientia eiusdem. Iouis por-
ıomine Horatius hac ode Deum verum mani-
designat, quia in eum solùm quadrant ipsius
epta verba hæc: *Qui res hominum, ac Deorum,
nare, & terras, variisque mundum temperat
: vnde nil maius generatur ipso, nec viget quic-
simile, aut secundum.* Nam vulgatus Anti-
ım Iupiter, teste Tullio, fuerat homo, & mul-
ıquinatus flagitiis, & morti prætereà obno-
quem aliquid molientem interturbabant sæpe
imitesque fabulosæ alioqui potentiæ statue-
idcircò non poterat his encomiis vllo pacto
ari.

Liber, Latinis, qui Lyæus; Græcis, Iouis & Semeles filius, Bacchus; de cuius bellica virtute opportuniùs libro sequenti. Accedunt ad Bacchum Apollo, ac Diana, eundem parentem agnoscentes: quippe innumeris pænè stupris infamis fuit Iupiter, vnde illa spuriorum caterua, quæ genus ad Iouem referebat: præstat autem Iouem illum multiplicem, cum laudato priùs Tullio, affirmare, quàm vnicum virum: idem enim periti de Hercule sentiunt, deque aliis veteribus multis, quorum res gestæ vni homini duntaxat à posteris attributæ.

Alcides, Hercules, ita dictus, vel ab Alceo, auo, qui fuit Amphitryonis Pater; nam filius Amphitryonis, aut saltem vxoris eius Alcmenæ, Hercules, vel à Græca voce ἀλκὴ, quæ virtutem, ac robur, Latinis auribus sonat.

Pueri Ledæ, Castor, & Pollux, de quibus actum anteà. Fuit Leda, Testij filia, Parthaonis neptis, vxor Tyndari, Laconiæ Regis; cuius filij dicuntur pueri, more Græco: παῖς enim Græcè, puer æquè & filius, quod non adeò vsitatum Latinè. Ac tametsi Pollux tantùm à Ioue in cycnum mutato fertur genitus, ambo tamen apud Græcos, Διόσκυροι, quasi Διὸς κῦροι, Iouis filij. Horum stella, siue fax potiùs, quando vnica est, vocabatur Helena, quæ Ledæ similiter filia fuit, censebaturque infausta: ideò dum ait Horatius: *Quorum simul alba nautis stella refulsit, defluit saxis agitatus humor, concidunt venti, fugiuntque nubes.* Non vnica intelligenda fax, verùm vtrique fratri danda est sua.

De tribus Romanorum Regibus, Romulo, Numa Pompilio, ac Tarquinio superbo, T. Liuius, aliique bene multi. Fasces virgarum, quibus rei cædebantur, & secures, quibus iidem plectebantur capite,

pite, prçferri solebant à lictoribus, tum ad incutiendum terrorem, tum ad infligendum de repente supplicium. Fascis & securis antiquç, iconem prçfert scutaria tessera Iulij Cardinalis Mazarini, in libris ei haud ita pridem dicatis facilè obuia: maza enim, siue mazza, nunc Italis idem, quod quondam Latinis erat fascis.

Lethum nobile Catonis vticensis, vticæ scilicet in Africa mortui, appellat Horatius, præclarum Cicero: Christianus quiuis appellauerit meliùs furiosum: vbi enim Cato iste Iulium Cæsarem vicisse audiuit, sibi violentas attulit manus, quod ab omni humanitate est prorsus alienum: idcircò rectè alibi Poëta idem noster atrocem viri huius animum dixit.

M. Atilius Regulus, fidem datam vt liberaret, maluit Carthaginem redire ad supplicium, quàm manere Romæ, sine captiuis iis, à quibus ad Senatum missus erat. Ciues alij multi peræquè illustres nominatim M. Scaurus, Senatus Princeps; Paulus Æmylius, Consul in pugna Cannensi, cum Senatoribus LXXX. primariisque viris aliis, ab Annibale cæsus; Fabricius, & Curius, qui, in fortuna tenui, aurum, hic à Samnitibus, ille à Pyrro, Epirotarum Rege, oblatum contempserunt, & Camillus, qui popularium iniquitate coactus exulare, fortiter eos, clementerque liberauit. M. denique Marcellus, Octauiæ, sororis Augusti, filius, familiæ Iuliæ insertus, Iuliæ Augusti filiæ, maritus, honoribus ab eo cumulatus amplissimis.

Iulium Sidus, cometa insignis, qui patrata Iulij cæde, in cœlo per septem noctes visus, creditusque à vulgo Iulij eiusdem animus, in cœlum elatus, de quo posteà, in gratiam Augusti, Virgilius: *Ecce dionæi processit Cæsaris astrum.* An autem locutus propriè Poëta hic, meritò quæras; nam videtur inter

astra & cometass discrimen maximum intercedere: dixerim ego cometas alios aëreos, celestes alios esse; hos in astris numerandos, aut semper, aut penè semper; illos verò, ex halitibus conflatos terreis, aliò pertinere. De Luna vnum hoc addo, censeri ab Astronomis ipsam siderum omnium infimam, & minimam reipsa, stellis tamen maiorem apparere, quòd nobis maximè propinqua sit, stellas autem, ignes ideò dictas, quòd perpetuam lucem emittant, ignis dotem præcipuam; & quòd Sol insuper, à quo videntur stellæ reliquæ lucem mutuam accipere, perpetuum calorem foueat, alteram nostratis ignis dotem.

Humanæ gentis Pater, ortus Saturno, Saturni filius, Iupiter, cui fatorum decreto commissa tum Iulij, tum Augusti Cæsaris cura, cœlum intereà moderabitur, in eoque Iulium beabit, dum orbem terdarum Romanis parere legibus coget Augustus. Nominantur autem hîc, præ populis aliis, Parthi, Seres & Indi, Asiatici omnes, quorum Seres extremi, nam alij non videntur à Sinis, apud quos etiam nunc magnus serici prouentus: at non audiendi, qui sericum illud ex altissimis excerptum arboribus volunt, & quidem in Æthiopia, vti Ioannes Bondius, tametsi Virgilius olim cecinit: *Velleraque vt foliis depectunt tenuia Seres*: Etenim & procul absunt ab Æthiopia Seres, & nullas huiusmodi arbores norunt, nisi quis vellera ea intelligat, de quibus, in extremæ Asiæ Atlante, Martinus Martinius noster, vbi de quarta Sinarum Prouincia Xantung, in qua eruitur quidem sericum ex arboribus obuiis, sed quod Siluestres Vermiculi, erucis haud absimiles, emiserint ex ore, temeréque per agros sparserint, non verò duxerint in ouum, aut globum, quod Bombyces domestici faciunt, etiam apud Seres, apud quos nec diuersi Bombyces à nostratibus, nec diuersus producendi Se-

rici modus : idcircò alucinatur Philibertus Monetus existimans Bombycem, erucæ speciem esse; & speciem aranei, Serem : Ser enim Barbaris planè idem, quod Græcis est Bombyx; atque ita idem planè Bombycinum, quod Sericum: id à Vermibus nostris conficitur in anno tantùm semel; At Martinio teste, bis à Vermibus Sinicis, vel propter clementiorem regionis temperiem, vel propter illius gentis maiorem longè industriam : nisi placet id totum naturæ adscribere, quæ potior quacunque arte sit; quod enim apud Sinas laborent vermes ij, naturæ indulgentis beneficium merum est; quod autem apud nos, artis, oppidò molestæ.

ODE X.

De Bello ciuili reparato.

O Nauis, referent in mare te noui
Fluctus : ô quid agis ? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, vt
Nudum remigio latus,
Et malus, celeri saucius Africo,
Antennæque gemant, ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor ? non tibi sunt integra lintea;
Non Dij, quos iterum pressa voces malo;
Quamvis pontica pinus,
Siluæ filia nobilis,
Iactes & genus, & nomen inutile.

Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, caue.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non leuis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

De bello ciuili reparato conscriptam allegoricè Odem hanc arbitrantur sanè multi, voluntque, nauem esse remp. cuius incolumitati consulturus Horatius conatur persuadere, vt armis positis, ad concordiam, tanquam ad portum tutissimum, confugiat; alioqui minatur naufragium, siue certam perniciem & cladem. Quemadmodum igitur triremis aliqua metuere tunc sibi præcipuè debet, cum Remigibus destituta est, qui solent ad eius latera esse; cùm fractus vi tempestatis malus; Antennæ funibus spoliatæ; vela fœdè lacerata; dissipatum penitùs lararium, Dijque tutelares fluctibus vehementissimis hausti: sic sanè resp. in bellum ciuile ruens, quando desunt copiæ militares, quæ optatam tueantur libertatem; quando perculsi tot cladibus iam acceptis socij; exhausti factis sumptibus primarij ciues; munita oppida in hostium redacta potestatem, euersa furore bellico templa, Deorumque statuæ flammis impiis absumptæ.

Retractaturus iam singula ista, dico, fortitudine opus esse, quando procella sæuiente occupandus est portus; fortitudine item, quando imponendus concitatæ seditioni finis, & antiqua tranquillitas postliminio reuocanda.

Latus nauis, est spatium inter proram, & puppim, interceptum, vbi Remiges, qui dicuntur hîc Remi-

gium; vt seruitium, serui, famulique, famulitium. Malus, arbor, in media naui erecta, vnde vela dependent. Antennæ, ad malum alligata transuersa ligna illa, quæ retinent funes, quibus reguntur vela: gemunt autem Antennæ, quando vi ventorum ad malum alliduntur. Carinæ, pars quidem nauis infima, verùm apud Poëtas tota sæpe est nauis.

Durare imperiosius mare, est absque naufragio tempestatem turbulentissimam ferre, inquiunt aliqui; sed quòd modus iste loquendi sit insolens, malim durare, non actiuum hoc loco, sed neutrum verbum esse; sic autem Poëtæ verba concinnarim: nonne vides, vt gemant Antennæ, & sine funibus Carinæ durare, siue in statu suo permanere vix possint? Imperiosius æquor, subaudi, est. Deinde, non tibi sunt integra lintea, &c.

Pinus, pro naui Pinea, figuratè. Pontica autem, è Ponto aducta. Est Pontus Asiæ minoris regio, sita inter Colchidem, & Armeniam, vel à Ponte Rege dicta, vel à Ponto, siue mari, cui adiacet: nisi quis velit, ab ea potiùs Ponti appellationem olim inditam vicino mari esse, vnde ad alia subinde deriuatum fuerit, apud Poëtas maximè, apud quos occurrit synecdoche frequens. Pinus, filia siluæ, catachresis, qua exprimitur nata in silua, & quidem nobili; vbi alluditur ad fumosas Romanorum procerum imagines, quorum maxima pars secuta erat partes Pompeij, contra Cæsarem: sed quemadmodùm nautas picturæ nauium non seruant, sic maiorum stemmata haudquaquam erant patricios, aliosve nobiles, seruatura.

Debere ventis ludibrium, est ventis ludibrio fore: quod enim debet quis, id soluat necesse est; ludibrium autem soluere, nihil aliud, quàm ipsum subire: subit verò nec iniuria, qui ventis furenti-

bus, cùm stare in portu tutus possit, sese temerè exponit: atqui profligato Pompeio, licebat ciuitati quiescere, nisi ciuium noua studia perperam emersissent. Aptè igitur subiungit Horatius: ô ciuitas, aut si mauis, resp. vel certè ciuitatis, aut reip. pars, Augusto Cæsari aduersa, quæ tædio me afficiebas priùs, nunc autem tui cura, desiderioque non mediocri, caue te in discrimina bellorum ciuilium antiqua conjicias, ea enim maria quædam sunt, naufragiis famosa; cuiusmodi habentur à nobis, quæ inter Cycladas Ægei maris insulas perpetuò feruent, dicunturque ideò freta. Numerantur Cyclades à Scriptoribus quinquaginta tres, quas à κύκλος appellationem sortitas esse constat, vel quòd in Cycli, siue circuli formam dispositæ sint; vel certè quòd præteruehi non possint, nisi facto magno Cyclo, siue circulo.

ODE XI.

Nerei Vaticinium de ruina Troiæ,

PAstor cùm traheret per freta nauibus
Idæis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, vt caneret fera
Nereus fata. Mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami Vetus.
Eheu quantus equis, quantus adest viris

Sudor? Quanta moues funera Dardanæ,
Genti? Iam Galeam Pallas, & Ægida,
Currusque, & rabiem parat.
Nequicquam Veneris præsidio ferox
Pectes Cæsariem, grataque fœminis
Imbelli cithara carmina diuides:
Nequicquam thalamo graues
Hastas, & calami spicula cnoſſij
Vitabis, strepitumque, & celerem sequi
Aiacem. Tamen heu serus adulteros
Crines puluere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuæ
Gentis, non pylium Nestora respicis?
Vrgent impauidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnæ, siue opus est imperitare equ
Non auriga piget. Merionem quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre;
Quem tu, ceruus vti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracundia diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum classis Achillei.
Post certas hyemes vret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Nereus, Oceani, ac Tethyos filius, Doridem sororem nactus est vxorem, ex qua incredibilem suf-

cepit Nympharum turbam. Creditus autem marinus hic Deus, præ aliis multis, vera fundere oracula, quemadmodùm innuit, Hesiodum sequutus, Virgilius: fingitur ab Horatio nunc Troianæ vrbis prænunciare cladem vltimam, quam apud plurimos veterum descriptam reperies.

Perfidus ille Pastor, Alexander, qui & Paris, Priami Troianorum Regis filius; hunc Hecuba mater, in monte Ida, nutriendum Pastoribus dedit, quem Priamus recepit adultum, misitque in Græciam, vbi à Menelao, Spartanorum Rege, perhumaniter exceptus, contra iura hospitij, vxorem eius Helenam rapuit, quam repetituri Græciæ Principes bellum Priamo intulerunt, decem annis oppugnarunt Troiã, ac tandem expugnatam incenderunt.

Ventos ideò quiescere Nereus voluit, vt fundenda oracula audirentur attentiùs: id verò gratum ventis non erat; nisi enim spirant, videntur extincti, & quodammodò sepulti. Est autem hîc apostrophe ad Paridem raptorem perpetua, qua clarè ostenditur quantum sit, inter calamistratum adulterum, & militem armatum, discrimen.

Mala ducebat aui Paris, quàm ducebat infaustis auspiciis, & malis auibus, siue avibus non ei addicentibus: etenim quæ infausta, & infortunata sunt, mala sunt; quæ fausta, & fortunata, bona. Nempe multum tribuebant Romani auibus, ex quarum aspectu scilicet conjiciebant futura euenta studiosè, profanosque iudicabant homines, qui ludicra signa illa contemnerent.

Coniurata dicitur Græcia, quòd in Aulide, Bœotiæ regione, iureiurando sese obstrinxissent Principes, ad repetendam Helenam. Eustathius tamen affirmat idem factum etiam priùs, quando scilicet Menelao data est vxor; veritus enim Tyndarus Pater, ne

si filiæ maritum vnum optaret, apud procos reliquos offenderet, omnes adegit Sacramento, ad opem porrigendam ei, qui Helenam duceret, si qua ideò inferretur eidem iniuria. Porrò, coniurata rumpere nuptias, hellenismus est, idemque significat, atque coniuratione, ad dirimendas huiusmodi nuptias facta.

Dardana gens, Troiana; nam Dardanus, Iouis filius, ex Electra, Coryti Regis coniuge, cùm Iasium, eiusdem Coryti filium, de regno contendentem occidisset, ortamque propterea vidisset seditionem, conscensa naue, in Samothraciam venit, inde in Phrygiam, vbi vrbem condidit, quæ à Troiade, siue Troia regione, Troia primùm nuncupata est, postéaque Ilium, ab Ilo Rege, qui eam amplificauit plurimùm.

Ægis fuit scutum Iouis, ἀπὸ τῆς αἰγὸς nominatum, siue à capra; nutritus enim is ab Amalthea capra olim, cuius mortuæ pelle scutum texit: capram tamen posteà, obductam alia pelle, & vitæ restitutam sideribus inseruit, scutum verò dedit Palladi, quæ ipsi Medusæ indidit caput, vt quisquis aspiceret verteretur in lapidem. Hoc armata profecta est ad bellum Troianum Pallas, infensa paridi nominatim, quod veneri addixisset pomum aureum, impuramque mulierculam sapientiæ prætulisset. Frustra igitur diuisurus erit carmina, siue carmina modulaturus voce modò, modò citharam pulsaturus; frustra etiam effugiet ab Idomeneo, & Aiace, intentata pericula: tandem enim adulterij pœnas dabit. Venus quidem opitulata Paridi est, cum Menelao singulari certamine decertanti, iam enim prostratus ferè, ab ea subductus est, & in thalamo collocatus odorato, ad quem hìc visus Poëta respicere; sed præsidium id thalami haudquaquam diuturnum.

cepit Nympharum turbam. Creditus autem marinus hic Deus, præ aliis multis, vera fundere oracula, quemadmodum innuit, Hesiodum sequutus, Virgilius: fingitur ab Horatio nunc Troianæ vrbis prænunciare cladem vltimam, quam apud plurimos veterum descriptam reperies.

Perfidus ille Pastor, Alexander, qui & Paris, Priami Troianorum Regis filius; hunc Hecuba mater, in monte Ida, nutriendum Pastoribus dedit, quem Priamus recepit adultum, misitque in Græciam, vbi à Menelao, Spartanorum Rege, perhumaniter exceptus, contra iura hospitij, vxorem eius Helenam rapuit, quam repetituri Græciæ Principes bellum Priamo intulerunt, decem annis oppugnarunt Troiã, ac tandem expugnatam incenderunt.

Ventos ideò quiescere Nereus voluit, vt fundenda oracula audirentur attentiùs: id verò gratum ventis non erat; nisi enim spirant, videntur extincti, & quodammodò sepulti. Est autem hîc apostrophe ad Paridem raptorem perpetua, qua clarè ostenditur quantum sit, inter calamistratum adulterum, & militem armatum, discrimen.

Mala ducebat aui Paris, quàm ducebat infaustis auspiciis, & malis auibus, siue avibus non ei addicentibus: etenim quæ infausta, & infortunata sunt, mala sunt; quæ fausta, & fortunata, bona. Nempe multum tribuebant Romani auibus, ex quarum aspectu scilicet conjiciebant futura euenta studiosè, profanosque iudicabant homines, qui ludicra signa illa contemnerent.

Coniurata dicitur Græcia, quòd in Aulide, Bœotiæ regione, iureiurando sese obstrinxissent Principes, ad repetendam Helenam. Eustathius tamen affirmat idem factum etiam priùs, quando scilicet Menelao data est vxor; veritus enim Tyndarus Pater; ne

si filiæ maritum vnum optaret, apud procos reliquos offenderet, omnes adegit Sacramento, ad opem porrigendam ei, qui Helenam duceret, si qua ideò inferretur eidem iniuria. Porrò, coniurata rumpere nuptias, hellenismus est, idemque significat, atque coniuratione, ad dirimendas huiusmodi nuptias facta.

Dardana gens, Troiana; nam Dardanus, Iouis filius, ex Electra, Coryti Regis coniuge, cùm Iasium, eiusdem Coryti filium, de regno contendentem occidisset, ortamque propterea vidisset seditionem, conscensa naue, in Samothraciam venit, inde in Phrygiam, vbi vrbem condidit, quæ à Troiade, siue Troia regione, Troia primùm nuncupata est, posteàque Ilium, ab Ilo Rege, qui eam amplificauit plurimùm.

Ægis fuit scutum Iouis, ἀπὸ τῆς αἰγὸς nominatum, siue à capra; nutritus enim is ab Amalthea capra olim, cuius mortuæ pelle scutum texit: capram tamen posteà, obductam alia pelle, & vitæ restitutam sideribus inseruit, scutum verò dedit Palladi, quæ ipsi Medusæ indidit caput, vt quisquis aspiceret, verteretur in lapidem. Hoc armata profecta est ad bellum Troianum Pallas, infensa paridi nominatim, quod veneri addixisset pomum aureum, impuramque mulierculam sapientiæ prætulisset. Frustra igitur diuisurus erit carmina, siue carmina modulaturus voce modò, modò citharam pulsaturus; frustra etiam effugiet ab Idomeneo, & Aiace, intentata pericula: tandem enim adulterij pœnas dabit. Venus quidem opitulata Paridi est, cum Menelao singulari certamine decertanti, iam enim prostratus ferè, ab ea subductus est, & in thalamo collocatus odorato, ad quem hîc visus Poëta respicere; sed præsidium id thalami haudquaquam diuturnum.

Cnoſſius, Cretenſis, à Cnoſſo, ſiue Gnoſſo, Cretæ Inſulæ vrbe, quam volunt Minois Regiam extitiſſe, vocarique hodie Candiam. Atqui è Creta venerat Idomeneus Rex, qui cùm iactatus tempeſtate vouiſſet ſe immolaturum Diis, quod primum redeunti occurriſſet, immolatus eſt occurrens ei filius; verùm ob immanitatem facinoris, à popularibus continuò pulſus, in Italiam venit.

Aiax, Telamonis alius, alius, Oilei filius fuit: illius commendatur fortitudo, ac robur; huius autem celeritas, haſtæque vibrandæ peritia. Sed celeritas non proditur, niſi fugit aduerſarius: tunc celer ſequi Aiax, quod Græco more dictum; celer in ſequendo, vel certè ad ſequendum, Latinè. Serus collines, Græco more ſimiliter; Latinè, ſerò collines, aut fœdabis, vel certè fœdatos, collutoſque puluere habiturus es, capillos, voluptatis illices, indicesque turpitudinis, vnguento anteà, muliebrem in modum, delibutos.

Laërtiades Laërtis Ithacæ Regis filius, Arceſij nepos, Iouis pronepos, Vlyſſes, quem tamen haud pauci volunt à latrone Siſypho, ex Anticlia, ſiue Autolia, Laërtis vxore, genitum: hic Troianis exitioſus in primis, plus attulit detrimenti aſtutia ſua, quàm Achilles animi magnitudine.

Neſtor, filius Nelei, & Chloridis, Neptuni nepos, dictus Pylius, à Pylo, Laconiæ vrbe, quam Neleus Pater, à Pelia fratre pulſus, extruxit.

De Teucro iam actum Ode 6. fuit Aiacis Telamonij frater; Sthenelus verò Capanei filius, vnus eorum, qui abditi, & equo Troiano tecti, miſeram vrbem inuaſerunt.

Melior, ſiuè fortior, & valentior Patre Tydeo, Diomedes, de quo diximus Ode 5. furit te reperire: *Il meurt d'ennie de te rencontrer: il enrage du deſir*

qu'il a de t'attrapper en quelque part. Ita Gallicè : Latinè autem, furit te reperire, idem est, ac furit, dum te reperiat ; furens igitur te quærit : verùm tu effœminatus, ac mollis, cum fugies, vt ceruus lupum, erecto ad vberiorem auram captandam, instar animalis illius fugacis, capite : quod eleganter expressit Virgilius, quando ait: *Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto spiritus.* Id enim vt fiat, necessariò erigitur caput. Arguit autem Paridis loquacitatem, & iactantiam, Nereus, vbi addit : *Non hoc pollicitus tuæ.* Amicæ, puta Helenæ. Et hic modus loquendi etiam nunc in Prouincia Phocensi vsitatus.

Iracunda classis, vt Pallida mors, ob iram Achillis implacabilem, quam accenderat puella formosissima Briseis, ab Agamemnone Achilli erepta ; quo fiebat, vt bellum detrectaret Achilles, atque ita duceretur bellum, Troiaque respiraret, quæ, cessante tanto duce, non erat à Græcis reliquis capienda.

ODE XII.

Ad Tyndaridem.

VElox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æstatem capellis
Vsque meis, pluuiosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma deuiæ
Olentis vxores mariti,
Nec virides metuunt colubras :

Nec Martiales hædulei lupos,
Vtcunque dulci, Tyndari, fiſtula,
Valles, & vſticæ cubantis,
Læuia perſonuere ſaxa.
Dij me tuentur; Diis pietas mea,
Et muſa cordi eſt: hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hîc in reducta valle, caniculæ
Vitabis æſtus; & fide Teia
Dices laborantes in vno,
Penelopen, vitreamque Circen.

Faunus, ruris apud veteres Deus, fingitur à Poëta, ex Lycæo Arcadiæ monte, vbi olim delubrum habuit, haud rarò demigrare in Lucretilem, montem alium in Sabinis, propter loci amœnitatem, ad quam feſtiuè inuitatur hac Ode Tyndaris, intereà dum vigent ardores caniculæ.

Æſtatem capellis defendere, eſt ab iis calorem æſtatis propulſare; quo pacto Virgilius dixit: *Solſtitium pecori defendite*, Et Cicero: *Qui non defendit iniuriam.* Quod idem eſt atque, qui non defendit ab iniuria. Nam vt Godſcalcus in obſeruationibus Latini Sermonis notat, defendimus tam id, quod damnum infert, quàm cui damnum infertur.

Olentis vxores mariti, capellæ, de quibus paulo antè: nam caper appellatur à Virgilio, vir gregis; & quidem olens peſſimè: neque enim domeſticum aliud vllum animal nobis adeò tetrum odorem afflat. Quærunt autem capellæ arbutos, per nemora; quòd in nemoribus arbuti apud Italos, quæ in Gallia plerumque occurrunt ſolæ. Sed cur colubras non

metuant animalia ista, inquies, cùm ab iis impendeat periculum graue? Potest id referri ad Soli, cœlique clementiam, has pestes omninò excludentem, vel ad parata negotio nullo remedia, cuiusmodi Echium est, de quo Fuchsius, ex Paulo: Echion Spinosa herba est, quæ non modò à serpente commorsis cum vino pota auxiliatur, sed præsumentes quoque percuti non patitur. Ita ille. Addo ego, expressum succum sufficere, propinatum animali, modò vt vulneri magma subinde imponatur. Neque verò rideat Horatium quis, colubras virides audacter obtrudentem: nam colubras serpentum genus quodlibet fortassis appellauerit, respexeritque Lacertos illos, qui Græcis ὀφιόμαχοι, nam ij profectò sunt virides: vel si velimus intelligi serpentes duntaxat propriè dictos, intelligentur virides verè, quales alit, hac etiam ætate, Sedunorum, ac Veragrorum ager, impensè venenatos.

Lupi Martiales, quia sacros Marti putauit Antiquitas: aggrediuntur hœdilia illi, sed propter hœdillos, aut hœdulos, quos crediderim hîc dici etiam hœduleos: vbi enim ferè alij legunt: *Nec Martiales hœdilia lupos*. Legit Smetius: *Nec Martiales hœdulei lupos*. Sic autem constat meliùs ratio carminis; sic præthereà sensus longè commodior: nam hœdos capris adiungere, tum maribus, tum fœminis, id ad rem omninò est; adiungere autem hœdilia, quæ non hœdis duntaxat, sed & capris reipsa conueniunt, quid aliud, quæso fuerit, quàm bis eadem animalia lectori nauseanti objicere? Porrò vt equus & equuleus, Latinè dicitur, sic dicetur Latinè proculdubio, & hœdulus, & hœduleus. Restat è Grammatica scrupulus leuis: nonnulli hœdum per œ scribunt, alij per æ, vtri meliùs? Existimauerim ego scribere meliùs primos; vox enim erit è Sabinis

petita, quæ facilè ad Romanos vicinos transierit: nam si fidem habemus Antiquariis, hœdum idem apud Sabinos quondam, quod apud Romanos fœdum; atqui fœdum profectò illud animal, quia fœtens. Et certè qui ἀπὸ τῶν αἰδοίων, arcessunt hœdi vocem è Græcia, longiùs abeunt, & habent repugnantem exoticæ linguæ spiritum.

Vstica, mons in Sabinis; ideò cubans, quia modicè decliuis, & cubantis hominis speciem referens; cuius valles, & antra, Fauni fistula personatæ creduntur vulgo, dum iactas voces, quod ait Lucretius, reddunt. Ne verò sibi malè metueret inuitata eò Tyndaris, profitetur studium Poëtices, probatamque Diis ipsis pietatem Horatius, vnde honesta expectanda sint omnia.

Copia opulenta ruris honorum, est bonorum ruri prouenientium vbertas. Alludit autem ad cornu copiæ Poëta, quod volunt aliqui fuisse capræ Amaltheæ: pugnans enim aliquando cum Hercule Achelous, taurique formam induens, cornu alterum, sibi ab Aduersario ereptum amisit, quod vt reciperet, eidem cornu Amaltheæ capræ dedit; nonnulli Copiæ, fortunæ comiti, concessum ipsum aiunt; Hyginus, Hesperidibus Nymphis, à quibus repletum sit pomis, & cornu copiæ dictum. Sed neglectis hisce fabulis, historiam Amaltheæ, non capræ, verùm hospitæ mulieris, enarrat Palæphatus.

Caniculæ æstus, vehementes plerumque, & noxij. Canicula Græcis, προκύων; sunt è Latinis qui ad verbum Antecanem nominent. De hac nuper laudatus Hyginus, Fabul. 130. cùm Liber Pater, inquit ad homines esset profectus, vt suorum fructuum suauitatem, atque iucunditatem ostenderet, ad Icarium, & Erigonam, in hospitium liberale deuenit,

iis vtrem plenum vini muneri dedit, iussitque vt in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato, cum Erigone filia, & cane Mera, in terram Atticam ad pastores deuenit, & genus suauitatis ostendit: Pastores cùm immoderatius biberent, ebrij facti conciderunt, qui arbitrantes Icarium sibi malum medicamentum dedisse, fustibus eum interfecerunt. Icarium autem occisum canis vlulans Mera Erigonæ monstrauit vbi Pater insepultus iaceret, quò cùm venisset, super corpus parentis in arbore suspendiose necauit; ob quod factum liber Pater iratus Atheniensium filias simili pœna afflixit. De ea re ab Apolline responsum petierunt, quibus responsum est, quòd Icarij, & Erigones mortem neglexissent. Quo responso, de Pastoribus supplicium sumpserunt, & Erigonæ diem festùm oscillationis, pestilentiæ causa, instituerunt, & vt per vindemiam de frugibus Icario, & Erigonæ primùm delibarent, qui Deorum voluntate in Astrorum numerum sunt relati. Erigone signum virginis, quam nos Iustitiam appellamus; Icarius, Arcturus in sideribus est dictus; canis autem Mera, Canicula. Hæc Augusti clarissimus Libertus; qui rursus eandem materiam tractat Poëticon Astronomicon lib. 2. Sunt qui velint Sirium etiam Caniculam nuncupari; sunt qui stellam alteram ab altera distinguant. Distinguenda autem omninò canicula, quæ est canis minor, à cane maiori, de quo idem Hyginus, eod. lib. 2.

Vallis reducta, vbi iucundi, pacatique secessus, qui valdè opportuni ad melodiam, de qua mox: videtur enim materiam cantus, & carminis, formamque Tyndaridi proponere Horatius: materia, siue argumentum, erit Vlysses, à Penelope, & Circe adamatus; forma verò, Anacreonticus modulus, ad suauitatem, ac delicias factus; nam huc pertinet

fides Teia: fides quidem, quæ nihil aliud, quàm chorda citharæ, aut cithara ipsa: Teia verò, quia ex Teo, siue Teio, Paphlagoniæ vrbe, ortus olim Anacreon.

Iam de Circe, ac Penelope, res vulgata est, Penelope, Vlyssis coniux, eo per viginti annos absente, incorruptam se seruauit, retexens telam noctu, quam interdiu texuerat; vnde abiit in prouerbium, Penelope tela: nam eam vbi absoluisset, tum demùm se nupturam promiserat. Circe contrà, profligati pudoris mulier, blanditiis irretitum detinuit apud se Vlyssem, ex quo & filium Telegonum suscepit, à quo posteà imprudente licet, sed vlciscente tamen admissum flagitium numine, interfectus est Vlysses. Atqui vitrea Circe, inquies? Lambinus id adiunctum, vel ad colorem Deorum Marinorum refert, vel ad Circes pulchritudinem; ego verò retulerim potiùs ad fluxam voluntatem, ac fidem meretriculæ, cui multùm dissimilis fuit, pulsata tot machinis, legitimæ vxoris constantia.

ODE XIII.

Ad Quintilium Varum.

NVllam, Vare, sacra vite prius seueris arborem,
Circa mite solum Tiburis, & mœnia Catili;
Siccis omnia nam dura Deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt solicitudines.
Quis post vina grauem militiam, aut pauperiem crepat?

Quis non te potiùs Bacche Pater; teque decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera liberi,
Centaurea monet cum lapithis rixa, super mero
Debellata; monet Sithoniis non leuis Euius,
Cùm fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt auidi. Non ego te, candide Bassareu,
Inuitum quatiam; nec variis obsita frondibus
Sub Diuum rapiam: sæua tene cum Berecinthio
Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui;
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem;
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

In agro Tiburtino plantandam esse Vineam ideò putat Horatius, quòd mite sit solum, & ad arborem huiusmodi procreandam accommodatum in primis. Catili Mœnia, Mœnia Tiburis, quod conditum alibi diximus à Catylli filiis, Tiburto, Corace, & Catyllo, quem Poëta hic noster Catylum vocat.

Sicci, aut abstemij penitùs, aut sobrij saltem, quos opponi nunc certum est, non vinolentis quidem, & ebriis planè, sed madidis vino certè, ac bene potis. Cur autem siccis Deus dura, & aspera proposuerit omnia, ex mente Horatij, negotio nullo intelliget, qui quo res tunc statu essent, perpenderit: nimirùm toti erat ij veteres in præsentibus corporum bonis, futuras illas animorum delicias ignorabant; quan-

do igitur quid molesti, durique acciderat, molliebant illum vino, malorumque sibi aliquam inducebant obliuionem; felices, si perpetuam nancisci potuissent, verùm id expectandum erat à Christo, neque obtineri humana vlla industria poterat.

Crepare, dum actiuè sumitur, est crebris vsurpare sermonibus, quod sine strepitu, & quasi crepitu, non fit. Iam duæ Romanorum ciuium classes erant, diuitum, & pauperum, diuites militare cogebantur, pauperes ad vilia quæque descendere ministeria; vtrumque, extra pocula, importunum, & graue; sed leue, ne dicam & iucundum, commodumque inter epulas, ibi enim Bacchi mentio duntaxat, & veneris; quanquam venerem homo profanus non nisi decentem, & honestam admittit etiam tunc; erubescat igitur sacris ritibus initiatus, dum innati pudoris obliuiscitur, & ad turpia sese, instar mutæ pecudis, abjicit, vel dum metas bibendi transgreditur, quas veræ fidei expers Poëta præfigit similiter, adducto Lapitharum, Centaurorum, ac Thracum, exemplo, subiectisque ad calcem Odes aliis ebrietatis incommodis.

Lapithæ, populi Thessaliæ, quorum Rex Pirithous, Ixionis filius, cùm Hippodamen, siue Hippodamiam Atracis, Ætoliæ Regis, filiam, vxorem duxisset, Centauros, Thessaliæ item populos, ad conuiuium inuitauit; at vino incalescentes ij, non sponsam, siue vxorem eius tantùm rapere, sed & reliquis Lapitharum vxoribus vim petulanter inferre conati sunt; hanc verò iniuriam non ferentes Lapithæ magnam stragem Centaurorum ediderunt. Aderat autem Lapithis Theseus, alter Hercules, Pirithoi amicus coniunctissimus, cuius etiam ad inferos descendentis, & Hippodame mortua Proserpinam rapere cogitantis, fuisse dicitur comes.

Sithon, Thraciæ mons, cuius vertex perpetuis niuibus riget, inde Thraces nuncupati Sithonij; vti Thraces, à Thrace, Martis filio; vel profectò meliùs, à Thracia, quæ verè τραχεῖα, dura scilicet, aspera, saxosa, & nisi quò mari propior est, infœcunda, frigidaque. Porrò Thracibus non leuis Euius, siue Bacchus, ideò quia huiusmodi regionum incolæ vinum expetunt, sed calore illius benigno incitati non tenent modum, quare in furorem aguntur sæpe præcipites, & præeuntem sibi tunc libidinem habent vnam, quia quidquid libet, licere perperam putant. Sed cur Bacchus, Euius? Non à voce Bacchantium, εὐοῖ, à qua potiùs vox, Euœ, quam vides vsurpatam lib.2 in Ode ad Bacchum, vbi ait Horatius: *Euœ recenti mens trepidat metu.* Verum à voce Iouis, εὖ υἱὲ, id est, bene, præclarè, ô fili; postquam Bacchus, Iouis filius, eidem operam suam, in bello contra Gigantes gesto, præ multis aliis, probasset: sic verò scribendus Euhyus; & à recto υἱὸς, quo possit syllaba prima corripi, subiunctiua littera omninò detrahenda.

Bassareus, appellatus est Bacchus, à genere vestis, quam Bacchantes mulierculæ induebant, hæc enim à Græcis appellata est βασσαρὶς, ex eo forsan, quòd Vulpinis obducta pellibus foret, nam Cyrenæis βάσσαρος erat Vulpes. Malim tamen Bassareum appellatum à Bacchantibus ipsis, quarum vt nulla sobrietas, sic aut exigua profectò, aut nulla etiam pudicitia: etenim apud Græcos βασσάρα, vel βασσαρὶς est etiam mulier prostituta. Candidus porrò Bassareus, idem ac minimè fallax; nam in vino veritas. Hinc lepidè, at verè, Hispani aiunt: *No ay tal testigo, como buen moduelo de vino.* Iam Bacchum in-

ritum quatere, & variis obsita frondibus sub diuum rapere, est, occulta eius mysteria proferre in publicum, quod non sine piaculo posse fieri veteres arbitrati sunt, Dæmone infandorum rituum autore, id agente, quippe quem nequitiæ suæ puderet, & sanè vix ac ne vix quidem discrepant Bacchica sacra hæc à nocturnis Magorum Sagarumque conuentibus, fieri ætate nostra solitis, in quibus, pudendæ libidines, ferales epulæ, nefanda, horrendaque sacrilegia. Porrò, rapere sub Diuum, aut sub Dium, aut sub Iouem, nam ζεὺς, διὸς, Græcis, idem ac Iupiter, Iouis, Latinis; ad verbum, rapere sub aërem, vel ad aërem apertum extrahere. Variæ frondes; vitis aut hederæ, folia; quibus tegebantur cistæ, Bacchi sacra continentes.

Berecinthus, mons Phrygiæ, cum oppido eiusdem nominis, vbi mater Deorum Cybele antiquitus colebatur, adhibito tympanorum pulsu; sonitu cymbalorum, & cornuum, tibiarumque cantu: quia verò iisdem planè modis plaudebant, Baccho veteres; hinc Berecinthium cornu, quod propriè matris Deorum Cybeles erat, haud ineptè hîc Baccho attributum. Vult autem Horatius cornu istud à Baccho contineri, atque comprimi, vel spiritum potiùs, quo inflari solet cornu, ne agatur in furorem, quemadmodum agebantur audito eo Bacchæ, Mænades propterea nuncupatæ à Græcis, quibus μαίνεσθαι, idem ac Latinis, furere, insanire.

Præter furorem, atque insaniam, obijciuntur nunc alia tria ebrietatis incommoda, nempe sui amor præposterus, ideò reuera cæcus, φιλαυτίαν Græci appellant: gloriæ inanis cupiditas, ad ardua impellens, temerariáque consilia: & insatiabile loquendi cacoëthes, ex quo certa, crebraq; datæ fidei violatio.

ODE XIV.

Ad Mæcenatem.

VIle potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum leui, datus in theatro
Cùm tibi plausus,
Care Mæcenas eques; vt paterni
Fluminis ripæ, simul & iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, & prelo domitam caleno
Tu bibes vuam. Mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

Sabinum Romæ minimi pretij vinum, quod propterea hîc dicitur vile: non mirum igitur, si modica futura sint, non capacia, & ampla pocula; ea κάνθαροι Græcè priùs, Latinè posteà item canthari.

Testa, vas testaceum; id fiebat præstantissimum in Græcia. Vt autem apud nos optimates aliquando, in ampullis vitreis, sabulo infossis, asseruant magna cura, primariæ notæ vinum aliquod, sic eiusdem, imò inferioris notæ aliud Romani asseruabant, in fictilibus amphoris, vel pice, vel myrrha fortasse, aut alia proculdubio simili materia oblitis, ad saporem conciliandum, opinor; nisi quis contendat id factum insuper, ad arcendum aëris cu-

iuscumque afflatum etiam minimum: nam ab aëre præsertim, & liquorum plurium aliorum, ita vini corruptela procedit. Etsi autem vinum ait se leuisse Poëta, testam tamen leuerit veriùs; sed loquutus figuratè est, & contentum pro vase continente posuit, quod eiusmodi hominibus admodùm familiare est, penéque quotidianum, nominatim Horatio nostro.

Datus Plausus in theatro, Mæcenati; Plausu enim testabatur populus Romanus gratum sibi esse in theatrum aduenientem aliquem; ingratum autem, atque inuisum, Sibilis. Plausum porrò, Mæcenati datum, ingentem fuisse oportuit, quandoquidem eo, non aduersa Tiberis ripa duntaxat, sed & adiacens Vaticanus, longè latéque reboauit, Paternum flumen ideò Tiberis, quia oritur in Hetruria, cuius Reges fuerant Ataui Mæcenatis, vt prima Ode significauit Horatius. Imago vocis, echo est, & quidem iocosa, quòd merum videatur ludibrium esse aurium.

Cæcubum, & Cales, felicis Campaniæ oppida sunt, quorum ager feracissimus vini, at non tantæ bonitatis, quantæ Falernum, ac Formianum erat, in eadem Campania natum.

ODE XV.

In Dianam, & Apollinem.

DIanam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Latonamque ſupremo
Dilectam penitùs Ioui.
Vos lætam fluuiis, & nemorum coma,
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erimanthi
Siluis, aut Viridis Cragi,
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque mares Delon Apollinis,
Inſignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famē,
Peſtemque, à populo, & Principe Cæſare, in
Perſas, atque Britannos,
Veſtra motus aget prece.



Hoc ſæculari carmine, inquit Lambinus, puellæ Dianam, pueri Apollinem placare iubentur, vt bello compoſito, & ſedato, pacem, atque otium; fame diſcuſſa, & profligata, frugum vbertatem, & rerum omnium copiam; peſte depulſa, cœli ſalubritatem, & corporum valetudinem, populo Romano impetrent. Ita ille. Cur autem pueri, & puellæ, auerruncis allegantur Numinibus; niſi quia naturæ oſtendit lumen, plus ibi innocentiæ eſſe, quam ne-

iuſcumque afflatum etiam minimum: nam ab aëre præſertim, & liquorum plurium aliorum, ita vini corruptela procedit. Etſi autem vinum ait ſe leuiſſe Poëta, teſtam tamen leuerit veriùs; ſed loquutus figuratè eſt,& contentum pro vaſe continente poſuit, quod eiuſmodi hominibus admodùm familiare eſt, penéque quotidianum, nominatim Horatio noſtro.

Datus Plauſus in theatro, Mæcenati; Plauſu enim teſtabatur populus Romanus gratum ſibi eſſe in theatrum aduenientem aliquem; ingratum autem, atque inuiſum, Sibilis. Plauſum porrò, Mæcenati datum, ingentem fuiſſe oportuit, quandoquidem eo, non aduerſa Tiberis ripa duntaxat, ſed & adiacens Vaticanus, longè latéque reboauit, Paternum flumen ideò Tiberis, quia oritur in Hetruria, cuius Reges fuerant Ataui Mæcenatis, vt prima Ode ſignificauit Horatius. Imago vocis, echo eſt, & quidem iocoſa, quòd merum videatur ludibrium eſſe aurium.

Cæcubum, & Cales, felicis Campaniæ oppida ſunt, quorum ager feraciſſimus vini, at non tantæ bonitatis, quantæ Falernum, ac Formianum erat, in eadem Campania natum.

ODE XV.

In Dianam, & Apollinem.

DIanam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Latonamque ſupremo
Dilectam penitùs Ioui.
Vos lætam fluuiis, & nemorum coma,
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erimanthi
Siluis, aut Viridis Cragi,
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque mares Delon Apollinis,
Inſignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famē,
Peſtemque,à populo,& Principe Cæſare,in
Perſas, atque Britannos,
Veſtra motus aget prece.



Hoc ſæculari carmine, inquit Lambinus, puellæ Dianam, pueri Apollinem placare iubentur, vt bello compoſito, & ſedato, pacem, atque otium; fame diſcuſſa, & profligata, frugum vbertatem, & rerum omnium copiam; peſte depulſa, cœli ſalubritatem, & corporum valetudinem, populo Romano impetrent. Ita ille. Cur autem pueri, & puellæ, auerruncis allegantur Numinibus; niſi quia naturæ oſtendit lumen, plus ibi innocentiæ eſſe, quam ne-

mo cæcus non viderit, vt hominibus, ita Diis, fore perpetuò acceptiorem?

Diana, Iouis, ac Latonæ filia, & Apollinis soror: apud Superos, Luna; Hecate; Proserpinaque, apud Inferos. Diana, quasi Iouiana, nempe ἀπὸ τῦ Διὸς, seu à Ioue: vel à die, quòd noctu quasi diem efficiat. Nonnullis tamen Diana; quasi Deuiana, quòd qui in siluis errant, sectentur plerumque deuia: nam Dea siluarum habebatur; vt solitudinis, laborisque beneficio, pudicitiam seruaret; quæ in turba, & otio, vix vnquam illibata.

Cynthius, Apollo, etenim Cynthus, mons in Delo insula est, in qua natus Apollo credebatur: & quia eodem partu edita quoque Diana erat, ea quoque vocabatur haud rarò Cynthia.

Latona, Cei Titanis filia, quam Iuno grauidam sentiens, immisso Pythone serpente, toto orbe est persecuta, donec tandem ad sororem Asterien venit, quæ primùm in coturnicem versa fuerat, posteáque in lapidem, tum in Insulam, à coturnice nominatam, hanc enim Græci ὄρτυγα nominant: sed quia Latona eò accedente, tametsi latens priùs, ex aquis commodùm extitit, Delos dicta est; nam δῆλος idem Græcè, quod φανερὸς, apparens, manifestus; vnde verbum δηλόω, Grammaticis notum.

Vos, ô teneræ virgines, efferte laudibus Dianam, fluuiis gaudentem, in quibus sæpissimè lauat; & nemoribus, in quibus venatur quotidie. Præ aliis autem, placet ei Algidum, aut Algidus, in agro Tusculano mons, non longè ab vrbe Roma dissitus; Erymanthus, Arcadiæ mons, in quo aprum ferocissimum cepit Hercules, viuumque Eurysteo, Mycenarum Regi, detulit, & Cragus, Lyciæ mons: quia

quia siluæ his in locis densissimæ. De Tempe alibi disputatum.

Pharetram, & lyram, Apollini vulgo tribuunt; Pharetram quidem, quia Sagittarius peritus in paucis; lyram verò, quia & ea donatus olim à Mercurio fratre, & musicorum præterea instrumentorum omnium amantissimus.

Persæ, atque Britanni, mea quidem sententia, non tanquam Romani populi hostes appellantur hîc, sed tanquam extra Imperij Romani fines positi.

ODE XVI.

Ad Aristium.

INteger vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauris iaculis, neque arcu;
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, Pharetra;
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & vltra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit esculetis;
Nec Iubæ tellus generat, Leonum

Arida nutrix.
Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreatur aura;
Quod latus Mundi nebulæ, maluſque
Iupiter vrget;
Pone ſub curru nimiùm propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Vitæ integritatem, atque innocentiam, vbique tutam eſſe demonſtrat exemplo ſuo Poeta Horatius, qui media in ſilua, in lupum atrociſſimum, nullo armorum munitus præſidio, incidens, ab eo præteritus eſt, planè intactus; ex quo confici vult, amorem, quo Lalagen ſuam proſequitur, eſſe à labe omninò alienum: erit igitur ſimilis ei, quem nobis depingit magnus Doctor Gregorius, quemque à diuina Scriptura nuſquam damnatum fuiſſe aſſerit.

Maura iacula ſunt, quibus Mauri vtuntur, differũtque à ſagittis, quas veneno inficiunt, haud ſecus ac Barbari alij plerique, quemadmodùm experti ſunt magno ſuo damno Hiſpani milites, qui ſuorum funera intuentes, remedioque fermè omni omninò deſtituti, tandem accurrerunt ad plantam ſponte ibi naſcentem, quam huc à Nicotio, clariſſimo viro, allatam, Galli paſſim Nicotianam vocant, & in hortis alunt, imò in campis alicubi, ad multa ſanè vtilem.

Syrtes, loca duo, circa fines Africæ, verſus Ægyptum, periculoſiſſima, in mari; propter aquas reciprocas, & ſaxa latentia. Mauult Lambinus intelligi finitimas ſolitudines: id tamen haudquaquam

necessarium est, potuit enim Horatius maritimum iter terrestri coniunxisse; quando vtrumque suis salebris scatet. Syrtes porrò æstuosæ, tum quia expositæ calori Solis ardentissimo, qui Latinis æstus est, tum quia vehementissimo motui maris, qui iisdem similiter æstus.

Caucasum, montem Scythiæ altissimum, Geographi notant, eius cacumen perpetuis niuibus oneratur; ideóque non assentior Bondio scribenti Caucasum ab æstu inhabitabilem esse: quis enim tantus æstus in Scythia? Quis in tanta montis alioqui frigidissimi altitudine? Meliùs igitur adiungemus frigori scopulos, antra, & varij generis feras, quæ omnia negent, ni fallor, hospitium.

Hydaspes, Medorum fluuius, ab Hydaspe, antiquo Medorum Rege sortitus nomen, ad Indos delabitur; propterea fabulosus, quòd extra Romanorum orbem positus, minùs Romanis notus foret, & ex eo acroamatis Bambalionũ obnoxius Poetæ videretur.

Curis expeditis vagari, est ambulare cura omni, & solicitudine, à se procul ablegata, quod contingit facilè iucunda carmina meditantibus.

Daunia, vel Apulia tota, vel saltem Apuliæ pars, à Dauno, eius Rege, Pilumni filio, Iouis nepote, cui Daunus alter, filius fuit, à quo genitus, Æneæ hostis, Turnus. Est Daunus præterea, eiusdem Apuliæ fluuius. Ibi autem esculeta, siue loca esculis consita. Reponitur esculus in arborum glandiferarum numero, crediturque à multis ea esse, quæ vocatur à Latinis etiam Phagus, quia φηγὸς communiter φαγὸς, doricè, vocata est à Græcis, quibus φήγω, & φάγω, est comedo: siquidem phagi fructus, præ glandibus aliis dulcissimis est, proindeque ad escam etiam sufficiendam aptissimus. At qui meliùs callent

D 2

iſta, Græcorum Phagum, eam ſaltem, quæ à Theophraſto deſcripta eſt, aliam faciunt à Fago Latinorum: nam Fagus Latinorum ſui generis eſt, neque fructu, neque foliis, ad quercuum ſimilitudinem accedens; fructus enim, vt mittam folia, figuræ triquetræ eſt, caſtanearumque ſaporem quadantenùs refert: phagus autem Græcorum, de genere quercuum eſt, fructumque rotundum habet, dulciorem quidem, quàm reliquæ quercus habeant, ideóque apud nonnullos populos, nominatim apud Hiſpanos, etiam nunc eſculentum, diuerſum tamen à fructu anteà indicato. Quam porrò intellexerit hac Ode fagum Horatius, parum intereſt; nemus enim ſignificare voluit, ac prætereà nihil: nemus autem, ex phago qualibet, aliave arbore haud abſimili, conſtare, ad lupum occultandum, potuit.

Iuba, Numidiæ Rex, Pompeij partes aduerſus Cæſarem ſecutus; eius tellus igitur fuerit, Europæ vicinior, Libyæ, ſiue Africæ pars, vbi leones non pauci, quos vt abigant à ſe Arabes, qui vrbium ſe muris non continent, excitant crebros ignes noctu, interdiu etiam iniectis facibus eos fugant, vel telis petunt: ſi quando tamen abſunt viri, & accedant ad mulieres, ab iis increpantur, tanquam ignaui, ſicque contumeliis onuſti, quod cuiuis mirum videri poſſit, continuò repelluntur.

Pigris vbi nulla campis arbor æſtiua recreatur aura, eſt Zona vtraque glacialis, ad Polum Arcticum altera, & altera ad eius oppoſitum Antarcticum collocata: ibi frigore concreti agri, nulla æſtas, hyems perpetua, ideóque viduæ frondibus arbores, obſitum nubibus, frigoreque horridum cœlum, ſi habetur Maioribus noſtris fides; at non habenda procul-dubio nunc: nam tametſi, ob refluentem incredibili violentia Oceanum, nemo Nauim adhuc ad Antar-

ćticum Polum potuit admouere, ad Arćticum tamen accessere propius aliqui, Groenlandiamque lustrarunt, quanquam non ausi attingere Arćticum ipsum, ne influens eò rapidè Oceanus ad naufragium inuitos certissimum impelleret. Atqui Zonæ glacialis partem non minimam esse, seu continentem, siue Insulam hanc, norunt periti Geographi, quam lingua patria, hoc est, Germanica, Dani, quibus iam diu paret, eo nomine afficiunt, quòd ad eam appellentibus, æstate autem duntaxat appellitur, iucunda camporum viriditate arrideat: nam Groenlandia Germanicè idem est, ac Viridis terra, Latinè; aut certè, Viridis prouincia. Æstas igitur ibi propria viget, sole obliquos quidem radios, constantes tamen, in eam euibrante: vigent & incolæ bene multi, quibus non desunt, ad propulsandum hyemis quantumlibet longæ frigus, à natura, & ab arte, constitua remedia. Hinc probabilem lector sapiens de Zona glaciali altera negotio nullo capiet coniecturam.

Sub curru nimiùm propinqui solis ponitur, qui ponitur in Zona torrida; hæc enim tota, & quidem sola subiacet soli, nam aliæ quatuor, temperatæ duæ videlicet, cum duabus frigidis, & glacialibus aliis, nunquam sentiunt rectà impendentem Solem, sed semper obliquum respiciunt. Iam ignari diuinæ prouidentiæ veteres Zonam illam mediam arbitrabantur hominibus inuiam, quam Argonautæ nostri peruiam maximè repererunt, in eaque habitarunt, & hodie habitant ex iis non pauci, cum indigenis, quorum aliqui domos quidem nullas extruunt, quòd nulla patiantur vnquam frigora, & nudi penitùs incedant; alij tamen & domos, & vrbes prætereà condunt, seseque, vt humaniores longè reliquis, tegunt veste, ad ornatum.

Lalage petitum è Græcia nomen, vbi λαλαγή, vox est. Amabat igitur puellam Romanam Horatius propter morum suauitatem, & gratiam, venustatemque sermonis; neque credebat inuisum esse superis amorem huiusmodi, quem ne cogitatum quidem, nedum perpetratum inficeret flagitium vllum. Quia tamen id homini etiam Christiano difficile admodùm fuerit, malim ego allegoriam hîc esse perpetuam, & Lalages nomine Lyricen designari, quod non tantum vox Lalages indicat, verum etiam vltima hæc Poëtæ verba, quæ cum Lalages voce conueniunt: dulce, quod est, dulciter, ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem: ostendunt enim Lalagen illam nihil habere amabile, præter vocum modulatam venustatem, quod ad amussim cadit in Lyricen.

ODE XVII.

Ad Virgilium.

QVis desiderio sit pudor, aut modus,
Tam cari capitis? Præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Vrget? cui pudor, & iustitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando vllum inuenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,

Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili:
Tu frustra pius, heu, non ita creditum
Poscis Quintilium Deos.
Quid si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem?
Num vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi?
Durum; sed leuius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

Præclarè in hanc Odem Dionysius Lambinus, non sine artificio, inquit, Horatius Virgilium magno animi dolore ex Quintilij Vari morte affectum consolaturus, sensim, & cautè, ægro, saucioque animo medicinam adhibet, ne ad vulnus recens illidat manus. Videtur enim primùm assentiri, atque indulgere lugenti, eiusque fletum, & lacrymas approbare, qui talis Amici iacturam fecerit; itaque cum Diis immortalibus de hac Quintilij morte quodammodò expostulat: deinde, posteaquam sese Virgilio lacrymarum, & luctus adiunxit socium, aggreditur paulo maiore fiducia, ad eius ægritudinem minuendam, ac leuandam, commemoratione conditionis humanæ, quæ est, vt semel omnibus moriendum sit. Demum ostendit nihil eum lugendo assecuturum, neque vlla vnquam ratione effecturum, vt Quintilius reuiuiscat.

Quis desiderio sit pudor, aut modus, tam cari capitis? Orditur Poëta ex abrupto, vt factæ iacturæ magnitudinem significet: sit autem, est modi potentialis, & idem valet, atque esse possit; & quia quod apud

Hebræos frequentissimum est, negationem quandamsecum infert non semel, in poësi Latina, interrogatio; quis desiderio sit pudor, aut modus, tam cari capitis? idem erit, atque, nullus possit, aut poterit pudor esse modusve desiderij; siue, non est, quod quenquam pudeat, si abductum à nobis Quintilium Varum, amicissimum hominem, præter modum desideret, cupiatque vità denuò restitutum.

Melpomene, vna è nouem Musis, de qua Fulgentius, μελπομένη, inquit, quasi μελέτην ποιουμένη medicationem faciens permanere; immò verò, meditationem: nam μελέτη, aut cura, aut meditatio est: malim tamen μελπομένην, esse nomen ex participio verbi μέλπομαι, quod idem est, ac μέλπω, cantu celebro: & certè cantum exigit à Melpomene sua Horatius; quando enim Musam hanc alloquens, ait: præcipe lugubres cantus, idem penè est, ac si diceret; præcine: quia præcipere hoc loco est, antè capere: cape igitur prior eam curam, ô Musa, cui Iupiter, cuius filia es, & suauitatem vocis, & pulsandæ citharæ contulit benignè scientiam.

Perpetuus sopor, interitus hominis, apud ethnicos, quibus nulla erat ἀναστάσεως futuræ notitia; ideò irrisus Athenis quondam, mentionem eius faciens, Apostolus Paulus.

Frustra pium appellat Virgilium Horatius; non quòd eius religionem damnet, censeatve inutilem: sed quòd, quantumcunque singularis, & eximia, Varum è mortuis excitatura non sit; non ita creditum scilicet, seu, non ea conditione concessum à Superis, & vita donatum temporaria, vt æterna hîc futura ea esse debuerit, nullique mutationi obnoxia: nam quod subiectum tempori, subiectum etiam interitui.

Fides, ab arboribus auditi, est lyra, siue cithara Orphei, quæ quanquam & saxa mouere potest, cadaueribus tamen non potest iterum dare animam, nec pristinum sanguinem in illa reuocare, natiuo videlicet, ac vitali calore præditum. Sunt qui vanæ imaginis appellatione animam iam egressam, hoc loco, intelligendam putent: at non redit sanguis ad animam, sanguis enim corporis, non animæ est. Cæterum quanquam anima functi vita hominis appellatur identidem imago à Poetis, nihil tamen vetat, quin & corpus imago appelletur, quandoquidem statua, quæ hominis externam duntaxat speciem refert, imago appellatur.

Mercurius, non lenis precibus fata recludere, non ea lenitate, aut facilitate potiùs, qua cuiuis supplici concedat à fatis decreta, pro arbitrio immutanda; vbi recludere, hellenismus est, pro, lenis ad recludendum, aut recludenda fata, & metaphora insuper, à rebus clausis, apertisque petita: siquidem quæ aperta, seu reclusa sunt, nam recludo, est aperio, ad manum omnium, & ad nutum sunt; quæ autem clausa, sub illius vnius arbitrio, à quo clausa, duntaxat: Mercurius, inquam, virga horrida, caduceo incutiente horrorem, tum quòd instructus serpentibus esset, qui nobis horrori sunt naturaliter, tum quòd eo animas ad loca inferna deduceret, compellebat gregi nigro, idest, in gregem nigrum mortuorum videlicet, è vita primùm excedentes, siue, ad iamdiu mortuos, recèns mortuos aggregabat: ita enim opinabantur Antiqui. Ad Gregis autem colorem nigrum illum facit apprimè noctis statua, quam vidisse se scribit Pausanias; hæc enim mulierem exhibebat, quæ dextra dormientem puerum album, nigrum sinistra, dormienti similem teneret.; subiungitque Pausanias idem, nigro puero

D 5

mortem, somnum albo designatum: Nam qui dormit, iterum lucem videt: qui verò est mortuus, in perpetua nocte est, habita ratione lucis huius, cuius vsura perpetuò caret.

Durum, mollius, graue, leuius patientiâ fit; præsertim si quid fieri vetat, ne id nobis non eueniat, quod est graue, ac durũ; vt vetat proculdubio durum hoc, imposita mortalibus omnibus, moriendi necessitas.

ODE XVIII.

De Ælio Lamia.

MVsis amicus, tristitiam, & metus,
Tradam proteruis in mare creticum
Portare ventis; quis sub Arcto
Rex Gelidæ metuatur oræ,
Quid Tyridatem terreat, vnicè
Securus. O quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis; nil sine te mei
Possunt honores: hunc fidibus nouis
Hunc lesbio sacrare plectro,
Teque, tuasque decet sorores.

Dum Poësi delectabor, inquit Horatius, nec timore percellar, nec mœrore contabescam; in ventos enim abibunt perturbationes animi omnes, nulla inhærebit menti, Quippe humana mens, bonis ar-

tibus exculta, summo studio easdem amplectitur: cætera, vt longè inferiora, despicit: potest igitur cogitare de Amicis, eos laudibus ornare, quod facturus Poëta noster, Musam suam orat, atque obsecrat, vt secum suscipiat celebrandum Ælium Lamiam, in cuius commendationem impendere ipse statuit quidquid suppetit poeticæ facultatis.

Mare creticum, illud propriè, quod à Septentrione Insulam cingit: siquidem à meridie Libycum, siue Africanum est, ab Occidente Adriaticum, & ab Oriente Carpathium. Quidquid autem in mare portauerint venti, vndis illud sepelierint, æternæque tradiderint obliuioni.

Arctos, tametsi nequaquam est in Polo, sed gradibus aliquod Astronomicis ab eo recedit, sumi tamen pro Polo ipso potest, vel certè pro plaga illa versus boream, & polum, extrema, de qua nuper disputatum à nobis. Dicitur verò Græcè ἄρκτος, quæ Vrsa Latinè, agnosciturque extra vllam controuersiam duplex, maior & minor: vtraque simul, Septentrio; maior item, ἑλίκη, helice; Græcis ἑλικός, est niger: & ἅμαξα, plaustrum, currus, quòd rudem aliquam currus, plaustrive speciem exhibeat; Gallicè, *le chariot*. Minor, κυνόσουρα, quasi, canis cauda, cynosura; & φοινίκη, phœnice, quòd credantur Phœnices obseruasse illam primi.

Vnicè securus, nullo modo solicitus, neque quærens, à quo timeatur Daciæ Rex, vel quem timeat Rex Armeniæ: quasi diceret; etiamsi non me fugiat, Armeniæ Regem sibi timere à Romanis, Regem Daciæ à Romanis timeri, neutrum tamen me, Romanum hominem, solicitum habet. Regem Daciæ appello, quem gelidæ oræ Regem Horatius, quòd præ cæteris Barbaris esset ille tunc Romanis infestus. At cur

ſub Arcto, inquies; quandoquidem eò non protendebatur Daciæ regnum? Quia gelida ora illa eò protendebatur haud dubiè; & in gelida ora, Dacia erat: nec ſolent Poëtæ carmina ſua ſemper ad trutinam Mathematicorum exigere: niſi velimus, idem eſſe ſub Arcto nunc, ac ſub Septentrione: Septentrionis verò vocem acceptam latè, pro tota illa cœli parte, quæ ad Boream vergit. De Tyridate, illud addo, videri eundem ipſum eſſe, quem Suetonius, Tacituſque memorant, Vologeſis, Parthorum Regis, fratrem, quem Roma, profligatum à Corbulone anteà, poſt Neroni ſupplicem vidit, cui, ab eodem, aiunt reſtitutum Armeniæ diadema, quondam à fratre, iam dicto, acceptum.

Pimpleum, de quo Strabo, Macedoniæ mons, in quo & fons eiuſdem appellationis, Muſarum choro ſacer, vnde ipſæ Pimpleides, & Pimpleæ. Ex his vna, præſtantior cæteris, inuocata Calliope fuerit ab Horatio nominatim: niſi quis putet appellatam è turba quamlibet eique adiunctas ad calcem Muſas alias, vel certè ſorores Muſarum Gratias; nam ipſæ quoque Iouis filiæ.

Aprici flores, apricis in locis nati, proptereáque tum maturiores, tum opinor, venuſtiores: nectuntur autem ij, quando ſerta, corollæve, texuntur; quia verò texebantur præcipuè Diis, innuere Poeta vult Lamiæ gloriam parem olim Deorum immortalium gloriæ futuram, & quidem beneficio carminum lyricorum, qualia erant ea, quæ ſcripſerunt Alcæus, & Sappho, hæc Sapphica, ille Alcaica, in Lesbo, Ægei maris inſula, in qua primùm hanc ambo Lucem viderant.

ODE XIX.

Ad Sodales.

NAtis in vſum lætitiæ Scyphis
Pugnare, Thracum eſt. Tollite barbarum
Morem; verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino & lucernis, Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat. Impium
Lenite clamorem, Sodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeueri me quoque ſumere
Partem Falerni ? Dicat opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas ? Non alia bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus, ingenuoque ſemper
Amore peccas. Quicquid habes, age.
Depone tutis auribus. Ah miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma.
Quæ Saga, quis te ſoluere theſſalis
Magus Venenis, quis poterit Deus?

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Scyphus, σκύφος, Græcè; Latinè, poculum: quod non est instrumentum bellicum, & martiale, sed conuiuale, & bacchicum potiùs: iure ergo accusat socios Horatius, qui rixarentur inter epulas & Barbarorum instar, sese amphoris, cantharisque turpiter peterent. Nominat autem præ aliis Barbaris Thraces, vt remotissimos Europæ populos, ad temulentiam procliues, maximè; & vbi vino incaluerint, maximè feros.

Bacchus verecundus, apud bene institutas gentes, à quibus pudenter, honestè, tranquilléque agitantur conuiuia, non pugnaciter, petulanter, & fœdè, sanguineas rixas nescit: quia non serit iurgia, in quibus, vulnerentur compotores, & sanguis fundatur.

Acinaces, Gladius Persicus, & Medicus, falcatus videlicet, Persarum, Medorumque proprius, immane quantum, siue mirum quantum discrepat, siue dissentit, atque distat, à vino, & lucernis: nempe bella interdiu fiunt, noctu verò conuiuia, præsertim apud Romanos, apud quos prandij rara mentio, cœnæ autem frequentissima: si quando enim prandere contingebat, non multum impendebatur in id temporis, cœna tamen ad multam noctem sæpius producebatur.

Lenire clamorem, demissa voce loqui. Remanere presso cubito, non surgere ad pugnam, sed in eodem situ accubationis perdurare: accubabant enim, in cœna, nixi cubito, Græcorum more, posteriores Romani; priores, more nostro, in mensa sedebant; non humi, quod Turcæ nunc, & pleræque gentes aliæ faciunt, sed in comparatis ad id sedi-

bus, vti facilè ex Homero intelligitur.

Vultis seueri me quoque sumere partem Falerni? Galli: *Vous plait-il que ie sois de la partie?* Falernus, Campaniæ felicis in Italia regio, vnde Romam deuehebatur generosissimum vinum, quod ab ea Falernum dicebatur; seuerum verò, austerum, inquiunt, quia vetus: ego tamen seuerum etiam appellatum ideò existimauerim, quod seueritatem quandam, morumque grauitatem adducere secum debeat, non secus ac obliuiosum massicum, quòd adducat obliuionem.

Megilla diminutum videtur nomen à Græco μεγήρης, Latinè amabilis, delectabilis: Græca enim Megilla fuerit, quippe opuntia: nam Opuntij Locrorum populi sunt, prope Bœotiam. Frater igitur puellæ huius iubetur ab Horatio Amicæ nomen edicere; id enim sonat hæc periphrasis: *Quo beatus vulnere, qua pereat sagitta.* Vt sic alludat ad cupidinem, cui arcum, & pharetram veteres tribuebant.

Cessat voluntas? Apostrophe ad eundem Megillæ fratrem, quem in suam conatur sententiam pertrahere, in primis negando se alia conditione ad mensam accessurum; deinde adolescentem illum à morum honestate commendando; fidem denique, silentiumque promittendo. Quibus vbi expugnatus ille machinis, exclamat re perspecta Horatius: Ah miser! quanta laboras in Charybdi, dignè puer meliore flamma: significans, indignam esse mulierem, quæ animum adolescentis miserè irretitum detineat; vtpote quæ Charybdi similis, ad certissimum adactura sit opum omnium, vitæque profligatæ naufragium.

Charybdim Poetæ fabulantur, extitisse fœminam rapacissimam, quæ cùm vaccas Herculi subduxisset, de cœlo tacta, in monstrum marinum conuersa sit,

Historici verò aiunt, Charybdim voraginem esse in freto siculo immanissimam, quam præ aliis accuratè describit Athanasius Kircherus noster, Mundi subterranei lib.2. huic opposita Scylla est, quam fingunt à Venefica Circe turpiter deformatam, cùm prius virgo foret pulcherrima: vtramque his aliàs illustrauit carminibus Maro:

Dextrum Scylla latus, lauum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.
At Scyllam cœcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem:
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo,
Pube tenus: postrema immani pectore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

Ita ille.

Venena illa, de quibus Poeta nunc, sunt φίλτρα, siue amatoria pocula; quæ ideò venena, quia sæpius animum, imò corpus non semel, grauissimè turbant: thessala autem, quia & venenis, & veneficis, abundabat, ea ætate Thessalia.

Pegasus, equus alatus, quo vectus Bellerophon, Chimæram occidit; sed cùm superbia elatus, in cœlum euolaret, immisso à Ioue œstro, excussus est, & Pegasus inter sidera relatus.

Chimæra, triforme Poëtis monstrum, & pectus Leonis habens, ventrem capræ, & caudam draconis: at historicis, Chimæra Lyciæ mons ignivomus, in cacumine, leones alens, capras in medio: in radicibus autem, serpentes. Porrò effecit industria sua Bellerophon, vt idem ille mons ab hominibus incoleretur: vnde ansam commentorum arripuere fabulatores.

ODE XX.

Ad Archytam.

TE maris, & terræ, numeroque carentis arenæ,
Menſorem cohibent, Archita,
Pulueris exigui prope littus parua Matinum
Munera; nec quicquam tibi prodeſt
Aërias tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe polum morituro.
Occidit & Pelopis genitor, conuiua Deorũ;
Tithonuſque remotus in auras;
Et Iouis arcanis Minos admiſſus; habentque
Tartara Panthoiden, iterum orco
Demiſſum, quamuis clypeo Troiana refixo
Tempora teſtatus, nihil vltra
Neruos, atque cutem, morti conceſſerat atræ,
Iudice te, non ſordidus autor
Naturæ, verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.
Dant alios furiæ toruo ſpectacula Marti.
Exitio eſt auidis mare nautis.
Miſta ſenum, ac juuenum denſantur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.
Me quoque deuexi rapidus comes Orionis

Illyricis Notus obruit vndis.
At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato,
Particulam dare: sic quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus hesperiis, Venusinæ
Plectantur siluæ, te sospite; multaque merces
Vnde potest, tibi defluat, æquo
Ab Ioue, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram.
Post modò te natis fraudem committere forsan.
Debita iura, vicesque superbæ,
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resoluent.
Quanquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter puluere curras.

Archytas, Mnessagoræ, aut vt aliis placet, Æstiei filius, Tarentinus Philosophus, qui Platonem, cùm necandus à tyranno Dionysio foret, per epistolam eripuit, fingitur hìc appellatus à nauta, cui benignè respondet; oratque ne patiatur insepultum iacere se, sed corpori, pulueris tantillum injiciat.

Arenæ mensor, imò & calculator, Mathematicarum disciplinarum bene sciens quilibet, facta tamen hypothesi priùs, quæ si ruit, ruat simul necesse est profecta inde demonstratio. Iure igitur Horatius arenam simpliciter, siue nulla hypothesi facta, ca-

rentem numero dixit: ab eo enim numerari solo potest, qui omnia fecit, in numero, pondere, & mensura: sed quæ solus is potest, impossibile appellant passim homines.

Matinus, Apuliæ mons, cuius Buxeta Lucanus minimè tacet. Iacebat propè vix gleba terræ opertus, Archytas: ita vt negotio nullo à feris ossa eius possent erui. Frustra ergo, inquit nauta imperitus, tanta rerum peritia, quæ nec mortem arceat, nec à morte dignam meritis tribuat sepulturam. At cùm pallida mors æquo pulset pede pauperum tabernas, Regumque turres, non debuit Archytam vnum prætertire. De mortuorum sepultura cogitare habent viui, ne dent pœnas alioqui neglectæ pietatis, & similia olim à superstitibus aliis nequicquam requirant officia.

Genitor Pelopis, Tantalus, Iouis filius, Phrygiæ Rex, qui Deorum, conuiuio exceptorum, arcana euulgauit: ideóque & addictus morti, & pœna perpetua, in Tartaro, affectus.

Tithonum, Laomedontis filium aliqui, fratrem alij fuisse arbitrantur; hunc Aurora, Titanis, ac Terræ filia rapuit, ob elegantiam formæ, secumque in cœlum euexit. Sunt qui scribant, pertæsum longissimæ vitæ, conuersum in cicadam; sunt qui ab Amasia iuuentuti pristinæ redditum; quod similius vero, tametsi non vero propius.

Minos, Iouis, & Europæ filius, Rex Cretæ, ob insignem tuendæ iustitiæ curam, Inferorum præfectus Iudiciis, institutus à Ioue, & nono quoque anno, dum viueret, sermones cum eo conferre clam solitus, magnam inde consecutus est famam, apud inanium narrationum architectos.

Panthoides, Euphorbus, Panthoi filius, in bello Troiano interfectus fuerat ætate Samsonis; post

ſeptingentos annos, regnante Cyro, Perſarum Rege, Daniele ſanctiſſima edente oracula, natus in Samo, Ægei maris inſula, Pythagoras affirmauit ſe Euphorbum illum eſſe priuſque fuiſſe Mercurij filium Æthalidem: docebat ſcilicet quam Græci παλιγγενεσίαν, & μετεμψύχωσιν dicunt, iteratam generationem ſæpius, & animarum in diuerſa corpora migrationem, quam apud Indos amplectuntur Brachmanes etiam nunc, aliique Aſiæ Philoſophi multi, quos necdum Chriſti ſcientia illuſtrauit. Ait autem Horatius Panthoidem rurſus eſſe detruſum ad tartara, quia vt Euphorbus mortuus ita, ita & mortuus Pythagoras, quamvis clypeum Euphorbi, qua ſuum, è templi poſtibus abſtuliſſet, contenderetque, nihil in homine, præter corpus, interire, rerum naturalium alioqui peritiſſimus vir. Sed omnes vna manet nox, quia ſemel ſaltem moriendum eſt homini, ex lege ab autore naturæ initio lata, cuius onere, grauiſſimo licet ne filium quidem ſuum, optimum maximum, immunem eſſe voluit.

Furiæ, & Eumenides, apud nos, apud Superos, diræ; & canes apud Inferos: Acherontis, & Noctis, filiæ tres, Alecto, Megæra, Tiſiphone; quibus ideò demandata bellorum cura creditur, quòd ibi gerantur multa, quæ non niſi à furioſis geri poſſe videntur.

Proſerpina, ſiue mors, ſiue mortis præſes Dea, nullum caput vnquam fugit, à nullo abſtinuit homine, ſiue is abiectus, ſiue ad ſummum dignitatum apicem euectus fuerit aliquando, tandem enim vniuerſos ſecum abripit: iure igitur Inferorum Regi nupta, cuius adeò amplificat regnum.

Notus, Orionis comes; quia ventus hic excitatur vbi nobis apparet Orion, qui propterea nimboſus à

Virgilio dicitur; nimbi enim hîc sæpius à Noto, qui ex mari euectas aquas liberaliter effundit, quamvis alibi ventus idem depellat nubes adducatque serenitatem: cuius rei rationem conatus reddere nuper quæstionum naturalium indagator diligens, aiebat pluuias à ventis vt plurimùm esse; ventos autem, qui è montibus in plana decurrerent, purgare aerem, ac nubes dissipare: qui è planis in montes inciderent, nubes cogere ex quibus breui effluant imbres: vnde accidat ventum eundem, Notum v.g. pro diuerso locorum situ, serenum, nimbosumque, & pluuium esse posse. Quod autem de ventis asseritur, idem asseretur similiter de stellis, atque sideribus: quo circa Orion, quem spectamus in præsentia, non fuerit vbique nimbosus, ac pluuius. At cur deuexus Horatio, inquies? Aiunt eius interpretes nonnulli, sed perperam, quòd vergat ad occasum: nam æquè in ortu, immò magis fortasse, saltem in Maronis sententia, quàm in occasu nimbosus, atque inde & ventosus. Addunt iidem, quòd in decliui cœli parte sit situs, rectè: situs enim est extra Zodiacum, in parte australi, quæ deuexa ideò, quia inclinat ad Polum Antarcticum: nam summa pars cœli, media est; imæ igitur aliæ duæ, quæ Polum vtrumque respiciunt: nobis autem Polus Arcticus media illa cœli parte altior, vnde & decliuior nobis erit Antarcticus. Illyricæ vndæ, Adriatici maris fluctus, quibus apertè haustum se demonstrat Archytas, quando qui sepultus in Apuliæ littore dictus est, nunc vndis Illyricis obrutus fertur: neque enim abductus procul, tumultuaria sepultura donatus. Norunt autem Geographiæ candidati Adriaticum mare inter Illyriam, & Apuliam, aliasque aliquot Italiæ oras, esse interiectum, & Illyriam, siue Illyrium, nunc voce barbara Sclauoniam dici, quæ dicenda minùs malè Slauonia.

mortem, somnum albo designatum: Nam qui dormit, iterum lucem videt: qui verò est mortuus, in perpetua nocte est, habita ratione lucis huius, cuius vsura perpetuò caret.

Durum, mollius, graue, leuius patientiâ fit; præsertim si quid fieri vetat, ne id nobis non eueniat, quod est graue, ac durũ; vt vetat proculdubio durum hoc, imposita mortalibus omnibus, moriendi necessitas.

ODE XVIII.

De Ælio Lamia.

MVsis amicus, tristitiam, & metus,
Tradam proteruis in mare creticum
Portare ventis; quis sub Arcto
Rex Gelidæ metuatur oræ,
Quid Tyridatem terreat, vnicè
Securus. O quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis; nil sine te mei
Possunt honores: hunc fidibus nouis
Hunc lesbio sacrare plectro,
Teque, tuasque decet sorores.

Dum Poësi delectabor, inquit Horatius, nec timore percellar, nec mœrore contabescam; in ventos enim abibunt perturbationes animi omnes, nulla inhærebit menti. Quippe humana mens, bonis ar-

tibus exculta, summo studio easdem amplectitur: cætera, vt longè inferiora, despicit: potest igitur cogitare de Amicis, eos laudibus ornare, quod facturus Poëta noster, Musam suam orat, atque obsecrat, vt secum suscipiat celebrandum Ælium Lamiam, in cuius commendationem impendere ipse statuit quidquid suppetit poeticæ facultatis.

Mare creticum, illud propriè, quod à Septentrione Insulam cingit: siquidem à meridie Libycum, siue Africanum est, ab Occidente Adriaticum, & ab Oriente Carpathium. Quidquid autem in mare portauerint venti, vndis illud sepelierint, æternæque tradiderint obliuioni.

Arctos, tametsi nequaquam est in Polo, sed gradibus aliquod Astronomicis ab eo recedit, sumi tamen pro Polo ipso potest, vel certè pro plaga illa versus boream, & polum, extrema, de qua nuper disputatum à nobis. Dicitur verò Græcè ἄρκτος, quæ Vrsa Latinè, agnosciturque extra vllam controuersiam duplex, maior & minor: vtraque simul, Septentrio; maior item, ἑλίκη, helice; Græcis ἑλικός, est niger: & ἅμαξα, plaustrum, currus, quòd rudem aliquam currus, plaustrive speciem exhibeat; Gallicè, *le chariot*. Minor, κυνόσυρα, quasi, canis cauda, cynosura; & φοινίκη, phœnice, quòd credantur Phœnices obseruasse illam primi.

Vnicè securus, nullo modo solicitus, neque quærens, à quo timeatur Daciæ Rex, vel quem timeat Rex Armeniæ: quasi diceret; etiamsi non me fugiat, Armeniæ Regem sibi timere à Romanis, Regem Daciæ à Romanis timeri, neutrum tamen me, Romanum hominem, solicitum habet. Regem Daciæ appello, quem gelidæ oræ Regem Horatius, quòd præ cæteris Barbaris esset ille tunc Romanis infestus. At cur

ſub Arcto, inquies; quandoquidem eò non protendebatur Daciæ regnum? Quia gelida ora illa eò protendebatur haud dubiè; & in gelida ora, Dacia erat: nec ſolent Poëtæ carmina ſua ſemper ad trutinam Mathematicorum exigere: niſi velimus, idem eſſe ſub Arcto nunc, ac ſub Septentrione: Septentrionis verò vocem acceptam latè, pro tota illa cœli parte, quæ ad Boream vergit. De Tyridate, illud addo, videri eundem ipſum eſſe, quem Suetonius, Tacituſque memorant, Vologeſis, Parthorum Regis, fratrem, quem Roma, profligatum à Corbulone anteà, poſt Neroni ſupplicem vidit, cui, ab eodem, aiunt reſtitutum Armeniæ diadema, quondam à fratre, iam dicto, acceptum.

Pimpleum, de quo Strabo, Macedoniæ mons, in quo & fons eiuſdem appellationis, Muſarum choro ſacer, vnde ipſæ Pimpleides, & Pimpleæ. Ex his vna, præſtantior cæteris, inuocata Calliope fuerit ab Horatio nominatim: niſi quis putet appellatam è turba quamlibet eique adiunctas ad calcem Muſas alias, vel certè ſorores Muſarum Gratias; nam ipſæ quoque Iouis filiæ.

Aprici flores, apricis in locis nati, proptereàque tum maturiores, tum opinor, venuſtiores: nectuntur autem ij, quando ſerta, corollæve, texuntur; quia verò texebantur præcipuè Diis, innuere Poeta vult Lamiæ gloriam parem olim Deorum immortalium gloriæ futuram, & quidem beneficio carminum lyricorum, qualia erant ea, quæ ſcripſerunt Alcæus, & Sappho, hæc Sapphica, ille Alcaica, in Lesbo, Ægei maris inſula, in qua primùm hanc ambo Lucem viderant.

ODE XIX.

Ad Sodales.

NAtis in vſum lætitiæ Scyphis
Pugnare, Thracum eſt. Tollite barbarum
Morem; verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino & lucernis, Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat. Impium
Lenite clamorem, Sodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeueri me quoque ſumere
Partem Falerni ? Dicat opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas ? Non alia bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus, ingenuoque ſemper
Amore peccas. Quicquid habes, age.
Depone tutis auribus. Ah miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma.
Quæ Saga, quis te ſoluere theſſalis
Magus Venenis, quis poterit Deus ?

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Scyphus, σκύφος, Græcè; Latinè, poculum: quod non est instrumentum bellicum, & martiale, sed conuiuale, & bacchicum potiùs: iure ergo accusat socios Horatius, qui rixarentur inter epulas & Barbarorum instar, sese amphoris, cantharisque turpiter peterent. Nominat autem præ aliis Barbaris Thraces, vt remotissimos Europæ populos, ad temulentiam procliues, maximè; & vbi vino incaluerint, maximè feros.

Bacchus verecundus, apud bene institutas gentes, à quibus pudenter, honestè, tranquilléque agitantur conuiuia, non pugnaciter, petulanter, & fœdè, sanguineas rixas nescit: quia non serit iurgia, in quibus vulnerentur compotores, & sanguis fundatur.

Acinaces, Gladius Persicus, & Medicus, falcatus videlicet, Persarum, Medorumque proprius, immane quantum, siue mirum quantum discrepat, siue dissentit, atque distat, à vino, & lucernis: nempe bella interdiu fiunt, noctu verò conuiuia, præsertim apud Romanos, apud quos prandij rara mentio, cœnæ autem frequentissima: si quando enim prandere contingebat, non multum impendebatur in id temporis, cœna tamen ad multam noctem sæpius producebatur.

Lenire clamorem, demissa voce loqui. Remanere presso cubito, non surgere ad pugnam, sed in eodem situ accubationis perdurare: accubabant enim, in cœna, nixi cubito, Græcorum more, posteriores Romani; priores, more nostro, in mensa sedebant; non humi, quod Turcæ nunc, & pleræque gentes aliæ faciunt, sed in comparatis ad id sedi-

bus, vti facilè ex Homero intelligitur.

Vultis seueri me quoque sumere partem Falerni? Galli: *Vous plait-il que ie sois de la partie?* Falernus, Campaniæ felicis in Italia regio, vnde Romam deuehebatur generosissimum vinum, quod ab ea Falernum dicebatur; seuerum verò, austerum, inquiunt, quia vetus: ego tamen seuerum etiam appellatum ideò existimauerim, quod seueritatem quandam, morumque grauitatem adducere secum debeat, non secus ac obliuiosum massicum, quòd adducat obliuionem.

Megilla diminutum videtur nomen à Græco μεγήρης, Latinè amabilis, delectabilis: Græca enim Megilla fuerit, quippe opuntia: nam Opuntij Locrorum populi sunt, prope Bœotiam. Frater igitur puellæ huius iubetur ab Horatio Amicæ nomen edicere; id enim sonat hæc periphrasis: *Quo beatus vulnere, qua pereat sagitta.* Vt sic alludat ad cupidinem, cui arcum, & pharetram veteres tribuebant.

Cessat voluntas? Apostrophe ad eundem Megillæ fratrem, quem in suam conatur sententiam pertrahere, in primis negando se alia conditione ad mensam accessurum; deinde adolescentem illum à morum honestate commendando; fidem denique, silentiumque promittendo. Quibus vbi expugnatus ille machinis, exclamat re perspecta Horatius: Ah miser! quanta laboras in Charybdi, dignè puer meliore flamma: significans, indignam esse mulierem, quæ animum adolescentis miserè irretitum detineat; vtpote quæ Charybdi similis, ad certissimum adactura sit opum omnium, vitæque profligatæ naufragium.

Charybdim Poetæ fabulantur, extitisse fœminam rapacissimam, quæ cùm vaccas Herculi subduxisset, de cœlo tacta, in monstrum marinum conuersa sit,

Historici verò aiunt, Charybdim voraginem esse in freto siculo immanissimam, quam præ aliis accuratè describit Athanasius Kircherus noster, Mundi subterranei lib.2. huic opposita Scylla est, quam fingunt à Venefica Circe turpiter deformatam, cùm priùs virgo foret pulcherrima: vtramque his aliàs illustrauit carminibus Maro:

Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem:
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo,
Pube tenus: postrema immani pectore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

Ita ille.

Venena illa, de quibus Poeta nunc, sunt φίλτρα, siue amatoria pocula; quæ ideò venena, quia sæpius animum, imò corpus non semel, grauissimè turbant: thessala autem, quia & venenis, & veneficis, abundabat, ea ætate Thessalia.

Pegasus, equus alatus, quo vectus Bellerophon, Chimęram occidit; sed cùm superbia elatus, in cœlum euolaret, immisso à Ioue œstro, excussus est, & Pegasus inter sidera relatus.

Chimæra, triforme Poëtis monstrum, & pectus Leonis habens, ventrem capræ, & caudam draconis: at historicis, Chimæra Lyciæ mons igniuomus, in cacumine, leones alens, capras in medio: in radicibus autem, serpentes. Porrò effecit industria sua Bellerophon, vt idem ille mons ab hominibus incoleretur: vnde ansam commentorum arripuere fabulatores.

ODE XX.

Ad Archytam.

TE maris, & terræ, numeroque carentis arenæ,
Menſorem cohibent, Archita,
Pulueris exigui prope littus parua Matinum
Munera; nec quicquam tibi prodeſt
Aërias tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe polum morituro.
Occidit & Pelopis genitor, conuiua Deorũ;
Tithonuſque remotus in auras;
Et Iouis arcanis Minos admiſſus; habentque
Tartara Panthoiden, iterum orco
Demiſſum, quamuis clypeo Troiana refixo
Tempora teſtatus, nihil vltra
Neruos, atque cutem, morti conceſſerat atræ,
Iudice te, non ſordidus autor
Naturæ, verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.
Dant alios furiæ toruo ſpectacula Marti.
Exitio eſt auidis mare nautis.
Miſta ſenum, ac iuuenum denſantur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.
Me quoque deuexi rapidus comes Orionis

Illyricis Notus obruit vndis.
At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato,
Particulam dare: sic quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus hesperiis, Venusinæ
Plectantur siluæ, te sospite; multaque merces
Vnde potest, tibi defluat, æquo
Ab Ioue, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram.
Post modò te natis fraudem committere forsan.
Debita iura, vicesque superbæ,
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resoluent.
Quanquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter puluere curras.

Archytas, Mnessagoræ, aut vt aliis placet, Æstiei filius, Tarentinus Philosophus, qui Platonem, cùm necandus à tyranno Dionysio foret, per epistolam eripuit, fingitur hîc appellatus à nauta, cui benignè respondet; oratque ne patiatur insepultum iacere se, sed corpori, pulueris tantillum injiciat.

Arenæ mensor, imò & calculator, Mathematicarum disciplinarum bene sciens quilibet, facta tamen hypothesi priùs, quæ si ruit, ruat simul necesse est profecta inde demonstratio. Iure igitur Horatius arenam simpliciter, siue nulla hypothesi facta, ca-

rentem numero dixit: ab eo enim numerari solo potest, qui omnia fecit, in numero, pondere, & mensura: sed quæ solus is potest, impossibile appellant passim homines.

Matinus, Apuliæ mons, cuius Buxeta Lucanus minimè tacet. Iacebat propè vix gleba terræ opertus, Archytas: ita vt negotio nullo à feris ossa eius possent erui. Frustra ergo, inquit nauta imperitus, tanta rerum peritia, quæ nec mortem arceat, nec à morte dignam meritis tribuat sepulturam. At cùm pallida mors æquo pulset pede pauperum tabernas, Regumque turres, non debuit Archytam vnum prætetire. De mortuorum sepultura cogitare habent viui, ne dent pœnas alioqui neglectæ pietatis, & similia olim à superstitibus aliis nequicquam requirant officia.

Genitor Pelopis, Tantalus, Iouis filius, Phrygiæ Rex, qui Deorum, conuiuio exceptorum, arcana euulgauit: ideóque & addictus morti, & pœna perpetua, in Tartaro, affectus.

Tithonum, Laomedontis filium aliqui, fratrem alij fuisse arbitrantur; hunc Aurora, Titanis, ac Terræ filia rapuit, ob elegantiam formæ, secumque in cœlum euexit. Sunt qui scribant, pertæsum longissimæ vitæ, conuersum in cicadam; sunt qui ab Amasia iuuentuti pristinæ redditum; quod similius vero, tametsi non vero propius.

Minos, Iouis, & Europæ filius, Rex Cretæ, ob insignem tuendæ iustitiæ curam, Inferorum præfectus Iudiciis, institutus à Ioue, & nono quoque anno, dum viueret, sermones cum eo conferre clam solitus, magnam inde consecutus est famam, apud inanium narrationum architectos.

Panthoides, Euphorbus, Panthoi filius, in bello Troiano interfectus fuerat ætate Samsonis; post

Virgilio dicitur; nimbi enim hîc sæpius à Noto,qui ex mari euectas aquas liberaliter effundit, quamvis alibi ventus idem depellat nubes adducatque serenitatem: cuius rei rationem conatus reddere nuper quæstionum naturalium indagator diligens, aiebat pluuias à ventis vt plurimùm esse; ventos autem, qui è montibus in plana decurrerent, purgare aerem, ac nubes dissipare: qui è planis in montes inciderent, nubes cogere ex quibus breui effluant imbres: vnde accidat ventum eundem, Notum v.g. pro diuerso locorum situ, serenum, nimbosumque, & pluuium esse posse. Quod autem de ventis asseritur, idem asseretur similiter de stellis, atque sideribus: quo circa Orion, quem spectamus in præsentia,non fuerit vbique nimbosus, ac pluuius. At cur deuexus Horatio, inquies? Aiunt eius interpretes nonnulli, sed perperam, quòd vergat ad occasum: nam æquè in ortu, immò magis fortasse, saltem in Maronis sententia, quàm in occasu nimbosus, atque inde & ventosus. Addunt iidem, quòd in decliui cœli parte sit situs; rectè: situs enim est extra Zodiacum, in parte australi, quæ deuexa ideò, quia inclinat ad Polum Antarcticum: nam summa pars cœli, media est; imæ igitur aliæ duæ, quæ Polum vtrumque respiciunt: nobis autem Polus Arcticus media illa cœli parte altior, vnde & decliuior nobis erit Antarcticus. Illyricæ vndæ, Adriatici maris fluctus, quibus apertè haustum se demonstrat Archytas,quando qui sepultus in Apuliæ littore dictus est, nunc vndis Illyricis obrutus fertur: neque enim abductus procul, tumultuaria sepultura donatus. Norunt autem Geographiæ candidati Adriaticum mare inter Illyriam, & Apuliam, aliasque aliquot Italiæ oras, esse interiectum, & Illyriam, siue Illyrium, nunc voce barbara Sclauoniam dici, quæ dicenda minùs malè Slauonia.

Ne parce malignus dare, noli dare malignè, quod est parcè, & illiberaliter, arenæ particulam: Gallicè: *N'espargnez pas quelques poignées de sable.* Vbi dare malignus, effertur more Græco; at Latino parce dare: nam sic etiam Liuius: *Parce fidem iactare.*

Fluctus Hesperij, qui Hesperiam, siue Italiam alluunt, nominatim Apuliam, in qua Venusia ciuitas, Horatij patria: optat igitur Archytas, vt in ciuitatis huius nemora ferantur venti potiùs quàm in cymbam benigni nautæ, quem vult saluum, atque incolumem ex freto illo procelloso euadere: idcircò non assentior iis, qui syluas Venusinas pro quibuscunque syluis positas volunt; neque enim Archytas deprecatur quodcunque naufragium, quod isti videntur sensisse apertissimè.

Tarentum, vrbs Calabriæ, à Tara, Neptuni filio, condita: nihil igitur mirum, si Neptunus eius custos; quem nautæ veteres colebant præcipuè. Verùm quia nautarum fera est, barbaraque natio, veritus Archytas ne surdo fabulam narret, intentat supplicium, etiam in filios, nepotesque deriuandum, vlciscentur. Dij scilicet oblatas à misero preces, nec se sinent facilè sacrificiis placari.

ODE XXI.

Ad Iccium.

ICci, beatis nunc Arabum inuides
Gazis, & acrem militiam paras;
Non antè deuictæ Sabææ
Regibus, horribilique Medo.

Nectis catenas. Quæ tibi Virginum,
Sponso necato, barbara seruiet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur vnctis,
Doctus sagittas tendere sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus, & Tiberim reuerti;
Cùm tu coemptos vndique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum,
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Arabia, vnde Arabes, Asiæ maioris regio, quæ statuitur triplex, Petræa, deserta, & felix: nomen indidisse dicitur Arabs, Apollinis filius. Pars Arabiæ Sabæa, vnde & Sabæi populi, ab vrbe primaria Sabá. Saba autem, non à σέβειν, quod sacrificare est; nam Græcè non loquuti sunt Sabæi, sed à Saba, filio Iecsan, filij Abraham Patriarchæ.

Gaza, thesaurus: Grammatici passim affirmant vocem Persicam esse, falluntur tamen, quanquam constat a Persis vsurpatam: sed Latinam quis eam similiter affirmare meritò posset, constat enim vsurpatam quoque à Tull o, & Marone, scriptoribus maximè Latinis. At certum ab Hebræis accersitam, nam sic ipsi Palæstinæ munitissimam vrbem nominant, in quam Rex Persarum Cambyses, inquit Pomponius Mela, bello Ægyptum petiturus, opes suas intulit, & ex ea ærarium fecit; hinc deinceps ærarium quoduis aliud appellatum etiam gaza. Vnde autem vrbi nomen hoc, nisi à munitionibus ipsis? etenim עז, Hebræis est, fortis, difficilis, altus, an-

ſub Arcto, inquies; quandoquidem eò non protendebatur Daciæ regnum? Quia gelida ora illa eò protendebatur haud dubiè; & in gelida ora, Dacia erat: nec ſolent Poëtæ carmina ſua ſemper ad trutinam Mathematicorum exigere: niſi velimus, idem eſſe ſub Arcto nunc, ac ſub Septentrione: Septentrionis verò vocem acceptam latè, pro tota illa cœli parte, quæ ad Boream vergit. De Tyridate, illud addo, videri eundem ipſum eſſe, quem Suetonius, Tacituſque memorant, Vologeſis, Parthorum Regis, fratrem, quem Roma, profligatum à Corbulone anteà, poſt Neroni ſupplicem vidit, cui, ab eodem, aiunt reſtitutum Armeniæ diadema, quondam à fratre, iam dicto, acceptum.

Pimpleum, de quo Strabo, Macedoniæ mons, in quo & fons eiuſdem appellationis, Muſarum choro ſacer, vnde ipſæ Pimpleides, & Pimpleæ. Ex his vna, præſtantior cæteris, inuocata Calliope fuerit ab Horatio nominatim: niſi quis putet appellatam è turba quamlibet eique adiunctas ad calcem Muſas alias, vel certè ſorores Muſarum Gratias; nam ipſæ quoque Iouis filiæ.

Aprici flores, apricis in locis nati, propteteáque tum maturiores, tum opinor, venuſtiores: nectuntur autem ij, quando ſerta, corollæve, texuntur; quia verò texebantur præcipuè Diis, innuere Poeta vult Lamiæ gloriam parem olim Deorum immortalium gloriæ futuram, & quidem beneficio carminum lyricorum, qualia erant ea, quæ ſcripſerunt Alcæus, & Sappho, hæc Sapphica, ille Alcaica, in Lesbo, Ægei maris inſula, in qua primùm hanc ambo Lucem viderant.

ODE XIX.

Ad Sodales.

NAtis in vſum lætitiæ Scyphis
Pugnare, Thracum eſt. Tollite barbarum
Morem; verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino & lucernis, Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat. Impium
Lenite clamorem, Sodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeueri me quoque ſumere
Partem Falerni ? Dicat opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas ? Non alia bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus, ingenuoque ſemper
Amore peccas. Quicquid habes, age.
Depone tutis auribus. Ah miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma.
Quæ Saga, quis te ſoluere theſſalis
Magus Venenis, quis poterit Deus ?

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Scyphus, σκύφος, Græcè; Latinè, poculum: quod non est instrumentum bellicum, & martiale, sed conuiuale, & bacchicum potiùs: iure ergo accusat socios Horatius, qui rixarentur inter epulas & Barbarorum instar, sese amphoris, cantharisque turpiter peterent. Nominat autem præ aliis Barbaris Thraces, vt remotissimos Europæ populos, ad temulentiam procliues, maximè; & vbi vino incaluerint, maximè feros.

Bacchus verecundus, apud bene institutas gentes, à quibus pudenter, honestè, tranquillèque agitantur conuiuia, non pugnaciter, petulanter, & fœdè, sanguineas rixas nescit: quia non ferit iurgia, in quibus, vulnerentur compotores, & sanguis fundatur.

Acinaces, Gladius Persicus, & Medicus, falcatus videlicet, Persarum, Medorumque proprius, immane quantum, siue mirum quantum discrepat, siue dissentit, atque distat, à vino, & lucernis: nempe bella interdiu fiunt, noctu verò conuiuia, præsertim apud Romanos, apud quos prandij rara mentio, cœnæ autem frequentissima: si quando enim prandere contingebat, non multum impendebatur in id temporis, cœna tamen ad multam noctem sæpius producebatur.

Lenire clamorem, demissa voce loqui. Remanere presso cubito, non surgere ad pugnam, sed in eodem situ accubationis perdurare: accubabant enim, in cœna, nixi cubito, Græcorum more, posteriores Romani; priores, more nostro, in mensa sedebant; non humi, quod Turcæ nunc, & pleræque gentes aliæ faciunt, sed in comparatis ad id sedi-

bus, vti facilè ex Homero intelligitur.

Vultis seueri me quoque sumere partem Falerni? Galli: *Vous plait-il que ie sois de la partie?* Falernus, Campaniæ felicis in Italia regio, vnde Romam deuehebatur generosissimum vinum, quod ab ea Falernum dicebatur; seuerum verò, austerum, inquiunt, quia verus: ego tamen seuerum etiam appellatum ideò existimauerim, quod seueritatem quandam, morumque grauitatem adducere secum debeat, non secus ac obliuiosum massicum, quòd adducat obliuionem.

Megilla diminutum videtur nomen à Græco μεγήρας, Latinè amabilis, delectabilis: Græca enim Megilla fuerit, quippe opuntia: nam Opuntij Locrorum populi sunt, prope Bœotiam. Frater igitur puellæ huius iubetur ab Horatio Amicæ nomen edicere; id enim sonat hæc periphrasis: *Quo beatus vulnere, qua pereat sagitta.* Vt sic alludat ad cupidinem, cui arcum, & pharetram veteres tribuebant.

Cessat voluntas? Apostrophe ad eundem Megillæ fratrem, quem in suam conatur sententiam pertrahere, in primis negando se alia conditione ad mensam accessurum; deinde adolescentem illum à morum honestate commendando; fidem denique, silentiumque promittendo. Quibus vbi expugnatus ille machinis, exclamat re perspecta Horatius: Ah miser! quanta laboras in Charybdi, dignè puer meliore flamma: significans indignam esse mulierem, quæ animum adolescentis miserè irretitum detineat; vtpote quæ Charybdi similis, ad certissimum adactura sit opum omnium, vitæque profligatæ naufragium.

Charybdim Poetæ fabulantur, extitisse fœminam rapacissimam, quæ cùm vaccas Herculi subduxisset, de cœlo tacta, in monstrum marinum conuersa sit,

Historici verò aiunt, Charybdim voraginem esse in freto siculo immanissimam, quam præ aliis accuratè describit Athanasius Kircherus noster, Mundi subterranei lib.2. huic opposita Scylla est, quam fingunt à Venefica Circe turpiter deformatam, cùm prius virgo foret pulcherrima: vtramque his aliàs illustrauit carminibus Maro:

Dextrum Scylla latus, laeuum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.
At Scyllam cœcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem:
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo,
Pube tenus: postrema immani pectore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

Ita ille.

Venena illa, de quibus Poeta nunc, sunt φίλτρα, siue amatoria pocula; quæ ideò venena, quia sæpius animum, imò corpus non semel, grauissimè turbant: thessala autem, quia & venenis, & veneficis, abundabat, ea ætate Thessalia.

Pegasus, equus alatus, quo vectus Bellerophon, Chimæram occidit; sed cùm superbia elatus, in cœlum euolaret, immisso à Ioue œstro, excussus est, & Pegasus inter sidera relatus.

Chimæra, triforme Poëtis monstrum, & pectus Leonis habens, ventrem capræ, & caudam draconis: at historicis, Chimæra Lyciæ mons igniuomus, in cacumine, leones alens, capras in medio: in radicibus autem, serpentes. Porrò effecit industria sua Bellerophon, vt idem ille mons ab hominibus incoleretur: vnde ansam commentorum arripuere fabulatores.

ODE XX.

Ad Archytam.

TE maris, & terræ, numeroque carentis arenæ,
Mensorem cohibent, Archita,
Pulueris exigui prope littus parua Matinum
Munera; nec quicquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum morituro.
Occidit & Pelopis genitor, conuiua Deorū;
Tithonusque remotus in auras;
Et Iouis arcanis Minos admissus; habentque
Tartara Panthoiden, iterum orco
Demissum, quamuis clypeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil vltra
Neruos, atque cutem, morti concesserat atræ,
Iudice te, non sordidus autor
Naturæ, verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via leti.
Dant alios furiæ toruo spectacula Marti.
Exitio est auidis mare nautis.
Mista senum, ac iuuenum densantur funera: nullum
Sæua caput Proserpina fugit.
Me quoque deuexi rapidus comes Orionis

Illyricis Notus obruit vndis.
At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato,
Particulam dare: sic quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus hesperiis, Venusinæ
Plectantur siluæ, te sospite; multaque merces
Vnde potest, tibi defluat, æquo
Ab Ioue, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram.
Post modò te natis fraudem committere forsan.
Debita iura, vicesque superbæ,
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resoluent.
Quanquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter puluere curras.

Archytas, Mnessagoræ, aut vt aliis placet, Æstiei filius, Tarentinus Philosophus, qui Platonem, cùm necandus à tyranno Dionysio foret, per epistolam eripuit, fingitur hîc appellatus à nauta, cui benignè respondet; oratque ne patiatur insepultum iacere se, sed corpori, pulueris tantillum injiciat.

Arenæ mensor, imò & calculator, Mathematicarum disciplinarum bene sciens quilibet, facta tamen hypothesi priùs, quæ si ruit, ruat simul necesse est profecta inde demonstratio. Iure igitur Horatius arenam simpliciter, siue nulla hypothesi facta, ca-

rentem numero dixit: ab eo enim numerari solo poteſt, qui omnia fecit, in numero, pondere, & menſura: ſed quæ ſolus is poteſt, impoſſibile appellant paſſim homines.

Matinus, Apuliæ mons, cuius Buxeta Lucanus minimè tacet. Iacebat propè vix gleba terræ opertus, Archytas: ita vt negotio nullo à feris oſſa eius poſſent erui. Fruſtra ergo, inquit nauta imperitus, tanta rerum peritia, quæ nec mortem arceat, nec à morte dignam meritis tribuat ſepulturam. At cùm pallida mors æquo pulſet pede pauperum tabernas, Regumque turres, non debuit Archytam vnum præterire. De mortuorum ſepultura cogitare habent viui, ne dent pœnas alioqui neglectæ pietatis, & ſimilia olim à ſuperſtitibus aliis nequicquam requirant officia.

Genitor Pelopis, Tantalus, Iouis filius, Phrygiæ Rex, qui Deorum, conuiuio exceptorum, arcana euulgauit: ideóque & addictus morti, & pœna perpetua, in Tartaro, affectus.

Tithonum, Laomedontis filium aliqui, fratrem alij fuiſſe arbitrantur; hunc Aurora, Titanis, ac Terræ filia rapuit, ob elegantiam formæ, ſecumque in cœlum euexit. Sunt qui ſcribant, pertæſum longiſſimæ vitæ, conuerſum in cicadam; ſunt qui ab Amaſia iuuentuti priſtinæ redditum; quod ſimilius vero, tametſi non vero propius.

Minos, Iouis, & Europæ filius, Rex Cretæ, ob inſignem tuendæ iuſtitiæ curam, Inferorum præfectus Iudiciis, inſtitutus à Ioue, & nouo quoque anno, dum viueret, ſermones cum eo conferre clam ſolitus, magnam inde conſecutus eſt famam, apud inanium narrationum architectos.

Panthoides, Euphorbus, Panthoi filius, in bello Troiano interfectus fuerat ætate Samſonis; poſt

Virgilio dicitur; nimbi enim hîc sæpius à Noto, qui ex mari euectas aquas liberaliter effundit, quamvis alibi ventus idem depellat nubes adducatque serenitatem: cuius rei rationem conatus reddere nuper quæstionum naturalium indagator diligens, aiebat pluuias à ventis vt plurimùm esse; ventos autem, qui è montibus in plana decurrerent, purgare aerem, ac nubes dissipare: qui è planis in montes inciderent, nubes cogere ex quibus breui effluant imbres: vnde accidat ventum eundem, Notum v.g. pro diuerso locorum situ, serenum, nimbosumque, & pluuium esse posse. Quod autem de ventis asseritur, idem asseretur similiter de stellis, atque sideribus: quo circa Orion, quem spectamus in præsentia, non fuerit vbique nimbosus, ac pluuius. At cur deuexus Horatio, inquies? Aiunt eius interpretes nonnulli, sed perperam, quòd vergat ad occasum: nam æquè in ortu, immò magis fortasse, saltem in Maronis sententia, quàm in occasu nimbosus, atque inde & ventosus. Addunt iidem, quòd in decliui cœli parte sit situs, rectè: situs enim est extra Zodiacum, in parte australi, quæ deuexa ideò, quia inclinat ad Polum Antarcticum: nam summa pars cœli, media est; imæ igitur aliæ duæ, quæ Polum vtrumque respiciunt: nobis autem Polus Arcticus media illa cœli parte altior, vnde & decliuior nobis erit Antarcticus. Illyricæ vndæ, Adriatici maris fluctus, quibus apertè haustum se demonstrat Archytas, quando qui sepultus in Apuliæ littore dictus est, nunc vndis Illyricis obrutus fertur: neque enim abductus procul, tumultuaria sepultura donatus. Norunt autem Geographiæ candidati Adriaticum mare inter Illyriam, & Apuliam, aliasque aliquot Italiæ oras, esse interiectum, & Illyriam, siue Illyrium, nunc voce barbara Sclauoniam dici, quæ dicenda minùs malè Slauonia.

Nectis catenas. Quæ tibi Virginum,
Sponso necato, barbara seruiet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur vnctis,
Doctus sagittas tendere sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus, & Tiberim reuerti;
Cùm tu coemptos vndique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum,
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

Arabia, vnde Arabes, Asiæ maioris regio, quæ statuitur triplex, Petræa, deserta, & felix: nomen indidisse dicitur Arabs, Apollinis filius. Pars Arabiæ Sabæa, vnde & Sabæi populi, ab vrbe primaria Saba. Saba autem, non à σέβειν, quod sacrificare est; nam Græcè non loquuti sunt Sabæi, sed à Saba, filio Iecsan, filij Abraham Patriarchæ.

Gaza, thesaurus: Grammatici passim affirmant vocem Persicam esse, falluntur tamen, quanquam constat a Persis vsurpatam: sed Latinam quis eam similiter affirmare meritò posset, constat enim vsurpatam quoque à Tullio, & Marone, scriptoribus maximè Latinis. At certum ab Hebræis accersitam, nam sic ipsi Palæstinæ munitissimam vrbem nominant, in quam Rex Persarum Cambyses, inquit Pomponius Mela, bello Ægyptum petiturus, opes suas intulit, & ex ea ærarium fecit; hinc deinceps ærarium quoduis aliud appellatum etiam gaza. Vnde autem vrbi nomen hoc, nisi à munitionibus ipsis? etenim עז, Hebræis est, fortis, difficilis, altus, an-

gustus, ex quo fœmininum עזה, quorum radix erit עזז, de qua Sanctes Pagninus, Ioannes Buxtorfius, & complures alij, quibus Hebraicum id verbum idem est, quod Latinum roborare, indurare.

Beatæ Arabum gazæ, gazæ sunt beatæ, seu felicis Arabiæ, quas Lambinus ex thure, ac cinnamomo conficit; meliùs tamen ex iis conficies, quæ lib. 3. Reg. cap. 10. refuntur his verbis: *Regina Saba, ingressa Ierusalem, multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis; & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem.* Nam certum est Arabiam auro, & gemmis abundasse, non inuentis domi tantùm, sed ex vltima etiam India exportatis; cùm enim ad mare sit, facilè potest mercaturam exercere.

Medus horribilis, vel quia expeditionem adeò longinquam non suscipiebant lubentes Romani, vel quia sibi à Medo, Parthoque, metuebant; post acceptam insignem cladem illam, in qua periit Crassus: & certè Parthorum, Medorumque pugnandi modus non poterat non esse Romanis periculosæ plenum opus aleæ, quemadmodùm alibi loquitur noster iste Horatius.

Catenas nectere, est vincula in bello captis parare, ne fuga libertatem quærant: præ aliis autem, in pretio tunc erant pueri, puellæque nobiles, & formæ liberalis. Puerorum eximij fiebant potionis administri; atque vt inirent ab arte insuper gratiam, vnguentis compta capita perfundebant: Alij alia capessebant domi munera, quibus defuncti strenuè, manumittebantur sæpius, & ad summas etiam dignitates aspirabant, quarum compotes facti, haud vulgari apud ingenuos flagrabant inuidia, quam nouorum hominum fastus vehementer accendebat. Puellæ, gynæceis addictæ, à victorum vxoribus, habebantur

tur humaniter, dum ab animis zelotypia procul foret.

Sagittæ Sericæ, à Seribus aduectæ populis; quia ibi singulari artificio elaboratæ. De Seribus, alibi dictum. Doctus tendere, hellenismus.

Panætius, Stoicus Philosophus magni nominis, cui gloriam conciliauit immortalem parentis eloquentiæ Romanæ repetita sæpius commendatio.

Socrates, Philosophus alius, Platonis magister; à quo familia, siue Domus Academicorum veterum: Academici dicti, ab Academia, loco nemoroso, mille passus ab Athenis distante; vbi villa, in qua natus, & Philosophatus est Plato. Sumpsisse nomen Academiam volunt ab Academo heroe: Stoicos autem, de quibus paulo antè, à στοᾶ, siue porticu, quo vsi sectæ huius philosophi.

Loricæ Iberæ, Hispanicæ, nam Hispani, etiam Iberi, vel ab Ibero flumine, vel ab Iberibus, Asiæ populis, ex quibus oriundi. Porrò Iberus Cantabros alluit, apud quos probatissimi ferri copia, vnde confici possint arma temperaturæ singularis.

Tendis mutare, non temnis, vti habent codices aliqui; tendis autem positum pro contendis; & hoc Horatio solemne, vt simplex vsurpet pro composito: atqui Latinè dicunt: contendis ad oppidum ire, Latinè igitur etiam dicent: contendis libros mutare. Iam mutare libros loricis, est, libris valere iussis, induere loricam, & arma capere.

ODE XXII.

QVid dedicatum poſcit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera nouum
Fundens liquorem? non opimas
Sardiniæ ſegetes feracis;
Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta; non aurum, aut ebur indicum;
Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem; diues & aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina ſyra reparata merce,
Diis carus ipſis, quippe ter & quater
Anno reuiſens æquor Atlanticum
Impunè. Me paſcunt oliuæ,
Me cichorea, leueſque maluæ.
Frui paratis, & valido mihi,
Latoe dones, at, precor, integra
Cum mente, nec turpem ſenectam
Degere, nec cithara carentem.

Vates, Horatius; de ſe loquitur, vti ſolemus etiam loqui de nobis identidem, præſertim dum alium aliquem alloquimur, quemadmodùm alloquitur ipſe Apollinem nunc, & quidem dedicatum, ſiue conſecratum, in Palatio, ab Auguſto Imperatore.

Nouus liquor, vinum recens: Dæmon enim, quia similis Altissimo esse vult, offerri sibi primitias iubet, quæ soli debentur Deo. Atenim vocabant nouum veteres, quicquid pulchrum admirandumque esset: id vt vltro dederimus, non continuò dabimus libatum hîc Apollini eximium vinum aliquod, nisi aliunde Horatij pietas illustretur, quam breui significabit non fuisse aduersus Deos nimiam.

Sardinia, Mediterranei maris insula, cui Sardus, Herculis filius, ex Africa profectus, appellationem, atque incolas dedit, cœlo est admodùm graui, pinguis licet, ac mirum in modum fertilis.

Calabria, Italiæ prouincia, Siciliam versus, omninò æstuosa, vt quæ superos, inferosque calores patiatur grauissimos. Non longè distat à Sicilia insula.

Ebur, indicum quidem; quia, vt ait Maro: India mittit ebur: at non mittit India vna, nam extra Indiam, imò & Asiam totam, non pauci nascuntur elephantes, à quibus petitum foret ebur ætate Horatij, si tantus tunc fuisset, quantus nunc est, acus & pyxidis nauticæ, vsus.

Liris, Campaniæ felicis fluuius, qui minimo quidem strepitu labitur, sed agros arrodit nihilominùs; alioqui lamberet eos, non verò morderet: & certè decurrit ex Apennino Liris; pauci autem ex alto emissi fluuij prætereunt ripas suas innoxij, tum maximè, cùm aquis aduenticiis intumescunt.

Vitis, metonymicè Vua. Vuam igitur premant, & inde vinum eliciant ij, quibus fortuna ipsam dedit, falce in agro caleno, amputandam: vel certè, premant Vuam, calena instructi falce, statim scilicet ab amputata Vua eadem, homines illi, quibus fuit fortunæ beneficio concessa: vel denique meliùs, loquendo propriè, ac simpliciter, premant

falce vitem, Vuam amputent; est enim pars vitis Vua, quæ tunc amputatur facilè, quando falce acuta premitur.

Exsiccare culullis vina, hypallage; nam dicendum absque figura illa esset, culullos vinis exsiccare; quia siccantur videlicet, quando exhauriuntur pocula, cululli enim pocula sunt, quasi parui culei, aiunt quidam: sed culeus maxima Romanorum mensura est, continetque viginti amphoras, ex Cornelij nostri sententia; quanquam ab ea longè abscedit Guillelmus Morelius, qui ne vnam quidem amphoram totam culeo tribuit, amphoram enim trium modiorum esse arbitratur Cornelius, at Morelius vult culeum in modiis duobus, tertioque tantùm medio consistere. Sed quid vina reparata merce syra, inquies? Puto ego vina esse comparata, quia mutata mercibus aduectis è Syria: siquidem, vbi sunt celebriores nundinæ, contingit, non semel etiam nunc, vt variarum regionum mercatores reportent domum, quæ ibi iudicant futura in pretio, vicissimque similia tradant, nullis planè acceptis, datisve pecuniis.

Diis carus, acceptusque mercator; quipe qui ex nauigatione Atlantici maris, sæpius per annum repetita, perpetuò reuertatur incolumis. Est autem Atlanticum mare, Atlanti, altissimo Mauritaniæ monti, adiacens, quod videtur, priscis illis Romanorum temporibus, haud satis fuisse nauigantibus exploratum.

Cichorea, scribit Lambinus κιχορεῖα, vt sit pluralis, à singulari κιχορεῖον; quanquam Græci κιχόρειον putantur dixisse frequentiùs: his Cichoreis, qua voce Intybolachana omnia, edulia saltem, arbitror designata, his, inquam, adiunguntur maluæ, ideò

leues, quòd corpus non grauent? celeriter enim transeunt, & læuigant, ac subducunt aluum: sed an maluæ Antiquorum eædem sint, quæ nobis maluæ hodie, vel aliæ herbæ potiùs, quarum nomen antiquum exciderit, id verò non vsque adeò certum; quid ego super hac re sentiam, dictum in notis ad Ænigmata Symposij.

Latous, λητῷος Græcis, communiter; doricè, λατῷος; Apollo, filius Latonæ, quæ iisdem, λητώ, & λατώ: à verbo antiquo, λήθω, quod postea, λανθάνω, lateo: latuit enim in Ortygia insula Dianam, & Apollinem paritura, Iunonis metu, Latona. Vbi vides quid censerent de infligendis ob crimina perpetrata suppliciis veteres, qui ne fœminas quidem, ipsi Ioui, Deorum maximo, eximiè caras, putabant iis immunes esse posse.

ODE XXIII.

PArcus Deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila diuidens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum,
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inuisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis.

Concutitur. Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna, cum stridore acuto,
Sustulit; hîc posuisse gaudet.

Parcus Deorum cultor, adolescens Horatius; grandior factus, vt par erat, resipiscit: agnoscitque diuinam potentiam; tametsi homo ethnicus malignè agnoscit: neque enim humana mens, vbi lux fidei abest, carere tenebris potest.

Sapientia insaniens, Philosophia Cyrenaica est, quæ voluptatem ducebat summum bonum: ita docuit auditor quondam Socratis Aristippus; Cyrenis, quæ vrbs Libyæ est, inter Ægyptum, ac Syrtes, ortus. Sapientia quidem, Philosophia hæc, quia sapientes priùs dicti, qui posteà, sapientiæ amatores, seu Philosophi: verùm philosophia, siue sapientia hæc Cyrenaica, aut si mauis, Epicurea, insaniens planè, ac desipiens est; Deum enim prouidentia spoliat, proindeque inanem reddit eiusdem sapientiam; & casui, seu fortunæ, nostra omnia permittit, vnde nullus, apud malè feriata illa capita, virtuti vlli locus.

Retrorsum vela dare, est à priori discedere sententia; quod nautæ prudentes faciunt, dum errore agnito, vela flectunt in contrariam partem, & iter susceptum persequuntur deinceps.

Diespiter, Diei Pater, Deorum veterum maximus, Iupiter; nubila diuidit, ex mente vulgi, quando è nubibus fulgura emittit: quando per purum, aerem videlicet, vibrat fulmina, calamitates portendit: horrore autem terrarum orbem vniuersum percellit, cùm molitur tonitrua. Currus, & equi volucres

tribuuntur ideò Ioui, quia eorum, quæ diximus, maxima plerumque celeritas.

Bruta tellus, iners, immota: siquidem, quod ait, Ecclesiastes, cap. 1. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* Et verò æquitati consentaneum erat, & rerum subdialium indoli, vt quiesceret elementorum omnium grauissimum leuiora reliqua mouerentur.

Styx, riuus iuxta Nonacrin, Arcadiæ montem, cuius aqua epota illicò necat: vnde nata de styge Inferorum amne narratio. Tænarus, promontorium iuxta spartam vrbem, in cuius vertice est ingens hiatus, quem Poetæ voluerunt apertam esse ad Tartarum viam. Atlanteus finis denique, cacumen famosi illius Africæ montis, quem tantæ ferunt altitudinis esse, vt ad lunarem vsque regionem pertineat.

Deus mutat ima summis; & quod olim Æsopus dixit: τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. Quare maximè insignes, illustresque mortalium, in ordinem redigit; at obscuros, nulliusque planè nominis, ad summa euehit honorum fastigia: id porrò per fortunam ferè præstat, cui vulgus vni ademptam, magno strepitu, siue admiratione, admurmurationeque omnium; & collatam alteri, dignitatem adscribit.

ODE XXIV.

Ad Fortunam.

O Diua, gratum quæ Regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos

Vertere funeribus triumphos,
Te pauper ambit ſolicita prece
Ruris colonus, te Dominam æquoris,
Quicumque bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Vrbeſque, genteſque, & latium ferox,
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.
Iniurioſo ne pede proruas
Stantem columnam; ne populus frequens,
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te ſemper anteit ſæua neceſſitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Geſtans aena; nec ſeuerus
Vncus abeſt, liquidumque plumbum.
Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Vtcunque mutata potentes
Veſte domos inimica linguis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Periura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis Amici,
Ferre iugum pariter doloſi.
Serues iturum Cæſarem in vltimos
Orbis Britannos, & iuuenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Eheu ! cicatricum,& sceleris pudet,
Fratrumque ; quid nos dura refugimus
Ætas ? quid intactum nefasti
Liquimus ? vnde manus iuuentus,
Metu Deorum, continuit ? quibus
Pepercit aris ? ô vtinam noua
Incude defigas recusum, in
Massagetas, Arabasque, ferrum.

Antium, Volscorum, Latij veterum populorum, primaria ciuitas ; Romanorum subinde Colonia, Italis hodie, *Nettuno* : à mari, opinor, cuius littori adiacet : Vnde Antij nomen, quippe inde venientibus, ante alias occurrit : vel, si mauis, à Neptuno ipso, maris Deo, cui æquè fuerint addicti Antiates, vt fortunæ ; solent enim maritimi homines, Neptuni, aut maris imperio potiùs, fermè omnia commoda, incommodaque sua, referre accepta.

Præsens tollere, hellenismus ; præsens, parataque, ad tollendum : nam paratus esse nequit, qui præsens, non est ; sed qui præsens, si potest, & vult paratus proculdubio est. Vertere triumphos funeribus, inferre necem iis, qui mox triumphaturi essent, atque ita triumphos ipsorum impedire ; quod perinde est, atque iam extantem triumphorum illorum pompam momento euertere.

Bithynia, minoris Asiæ regio, à Bithyno Rege sic dicta, quæ Bebrycia primùm, deinde Mygdonia erat : Carpathus autem, Ægei maris insula. De Dacia, Scythiaque, scriptum alibi. De Scythis tantùm dico, vel appellari profugos, quòd ἁμαξόβιοι sint, in plaustris habitantes, & ad fugam expediti ; vel certè quòd in bello, nulli ex ipsis pedites ; pugnant enim ex equis omnes, ad laborem ferendum,

& ad periculum vitandum, idoneis.

Tyrannos interpretantur Critici Reges; ego tamen inter tyrannos, atque Reges, discrimen sæpius apertum video; & apud profanos, & apud sacros etiam scriptores: profanorum omnium instar vnus erit hic noster Horatius, cuius verba expendere quiuis potest. E sacris primus erit Daniel, apud quem hæc leguntur, cap. 1. *Et ait Rex Asphenez, præposito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla esset macula, qui possent stare in Palatio Regis.* Alter, Salomon, apud quem item hæc, Sapient. 12. *Non est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus: Neque rex, neque tyrannus, in conspectu tuo, inquirent de his, quos perdidisti.* Quare tyrannus, istis, aliisque similibus locis, erit Princeps, aut regulus, ex iis maximè, qui primas tenent in aula potentissimi Monarchæ alicuius: hos Gallus vernacula lingua diceret: *les Grands de la Cour.* Latinè appellantur purpurati, quòd purpura, quæ Regum propria erat, ipsis etiam haud rarò concederetur vti liquet ex cap. 11. libri primi Machabæorum, vbi Rex Antiochus scribit Ionathæ, dicens: *Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quatuor ciuitates, vt sis de amicis Regis: & misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream.* Confirmantur istæc omnia ex iis, quæ ait Aman, & Esther cap. 6. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regiis principibus, ac tyrannis, teneat equum eius.* Nam ibi Mardochæo datur vestis regia, quæ purpurea est; & primus de regiis principibus, est primus de tyrannis. Quanquam non

me fugit tyranni vocem alio quoque ſenſu acceptam aliquando: ſed parum id refert ad ſententiam præſentem Horatij.

Columna, Imperator Auguſtus, à quo ſi diſcederet populus, & ad arma concurreret; iam conſtitutam tolleret Imperij formam, omniaque perturbaret: idcircò, à quiete Imperatoris, dependet quies, tranquilitaſque populi; neque enim mutationes in rep. magnæ fiunt, ſine mutuis partium confligentium motibus, mutuiſque detrimentis.

Si anteit fortunam neceſſitas, quæ caſu videntur fieri neceſſariò fiunt; abit igitur ab Epicuræis ad Stoicos Horatius: at meliùs faceret, ſi vtroſque deſereret: nam nec fortuito res humanæ contingunt, nec neceſſitate, aut fato, verùm libera Dei voluntate, ſic ſingula diſponentis, vt nec vis inferatur nobis vlla, neque noſtro conditori, quippe cuius nutui ſubſunt ſemper, quæcunque ab eo ſunt, ſunt autem ab eo, quæcumque extra eum ſunt. Neceſſitas dicitur ſæua, quia dura; non flectitur enim neceſſitas: & habet inſtrumenta, ſiue ſymbola duritiei, & conſtantiæ ſuæ, trabales clauos, cuneos, vncos cum plumbo liquido; & manus aheneas, pertinent ad architectonicem, & fabrilem artem, iſta; fabri ergo, & architecti, conſulendi.

Neceſſitatem comitatur quidem perpetuò ſpes, non tamen fides perpetuò: ſiquidem plebeij homines penè ſemper infidi, infidæ pariter profligati pudoris mulieres, infidi denique ex vulgaribus Amicis plurimi, qui doloſi iugum pariter ferre, qui tanquam ignaui, ſcilicet boues, iugum quidem ſubeunt, ſed excutiunt, cum primùm ſentiunt graue: nolunt enim vllius aduerſi Amicorum caſus eſſe vnquam participes, vt qui dolo amicitiam oſtentarant, recepturi commoda mutua, & ad primum incommo-

dorum aſpectum, fugam turpiter inituri. Porrò exhauſtas opes omnes indicant cadi, cum fæce ſiccati, ſiue ad imas vſque fæces exhauſti: nam miſerum cenſemus eum, qui tantæ inopiæ ſit, vt adactum ſe videat ad ſorbendas fugientis vini ex dolio putreſcente reliquias.

Britannia, Oceani Septentrionalis inſula, quæ nomen à Britone Rege ſuo inuenit; vocabatur priùs Albion, ab albis montibus, qui ad eam nauigantibus, apparent, poſtremò, dicta eſt Anglia: Romani cùm vltra Gallias Britanniam vnam noſſent, eius incolas putabant Mortalium extremos; at nulli extremi ſunt, quando eodem in orbe conſiſtunt vniuerſi: nam orbis vnius ita extrema omnia ſunt, vt nullum propriè ſit extremum; quia quodcunque aſſignatum extremum fuerit, erit pariter, ſi velis etiam medium.

Eous, ἑῷος, & ἠῷος, ab ἠὼς, quæ & ἑὼς, Aurora: eſt ergo Eous, Auroram, proindeque orientem Solem ſpectans: ibi erant Arabes, Medi, Perſæ, aliique, Romano populo parum amici, quos ideò decebat in perpetuo metu eſſe, ne vel ſubjicerentur tandem, vel ab hoſtibus adeò formidoloſis penitus delerentur, accedente maximè Danielis Prophetæ oraculo, cuius fama poterat eos iamdiu terruiſſe: nam quòd editum apud ipſos oraculum illud foret, non exciderat, opinor, omnis eius memoria.

Oceanus ruber, mare, quod vulgo rubrum, ab arena ipſius rubra; aut erythreum, ab erythreo, ſeu erythra, Perſei, & Andromedæ filio, qui haud procul regnum habuit, attingit mare illud Ægyptum, & inter Arabiam, Æthiopiamque, quam vocant Abaſſiam, & Pretejannis Imperium, iacet.

Obductis belli ciuilis vulneribus, reſtabant cicatrices, quas Poeta ſubjicit Romanorum ciuium ocu-

lis, vt eos præteriti furoris pœniteat. Nempe tunc perpetrata generis omnis flagitia, quòd nullus vigeret Majestatis diuinæ timor, nulla rerum sacrarum reuerentia; ideò non profanæ duntaxat, sed & Numini dicatæ domus, à militibus euersæ: & quanquam numen illud indignum cultu erat, quia falsum; vera tamen huiusmodi hominum impietas erat, quia veræ contraria pietati; numen enim proteruè impetebat, quod ea ætate putabatur esse verum.

Sub finem diffident Interpretes, Lambinus legit: ô vtinam noua incude defigas recusum in Massagetas, Arabasque, ferrum. Bondius verò, diffingas retusum. At Lambini lectio plana est: optat enim Horatius, vt nouæ quærantur incudes, telaque fingantur iterum, quibus Arabes, & Scythæ, à Romanis malè mulctentur: nam è populis Scytharum Massagetæ. Bondij lectio aspera, & salebrosa, nam diffingere, vult esse idem, ac fingere de nouo, vel, vt ait, refabricare, Morelius tamen in Thesauro, diffingere, inquit, *deffaire ce qui est fait, luy oster sa forme, & figure.* Vtri fidem habebimus? & certè Morelio suffragatur Cerda noster, suffragarique penè cogit Horatius ipsemet, dum lib. 3. ad Mæcenatem ait: *Cras, vel atra nube polum Pater occupato, vel Sole puro: non tamen irritum quodcunque retro est efficiet, neque diffinget, infectumque reddet, quod fugiens semel hora vexit.* Vbi diffingere, apertè idem quod reddere infectum, non verò, quod facere, aut reficere. Sed poterit respondere Bondius forsan, aut verbi vnius huius duplicem significationem esse, aut retenta priori hac, locutum absurdè fuisse poetam, si postulauit à fortuna, vt ferrum diffingeret, seu destrueret retusum. Ad id tamen dixerim in primis, cùm diffingo vix alibi, quàm apud Horatium extet, eliciendum ex eius verbis, quid tandem sibi velit eo

verbo. Dixerim deinde, non postulasse Horatium à fortuna, vt ferrum retusum diffingeret, sed vt defigeret recusum: demus Bondio nihilominus, quod plerique dant alij, tunc ego sic exponam: vtinam ô fortuna, nouam incudem adhibeas, ad enses, quos rursum procudimus, aduersus Arabes, & Massagetas, penitùs conterendos; quo cessent non domestica tantùm; sed externa etiam bella: idque posceret sapienter Horatius: quia facile, admodùm est, ab illis ad hæc, assuefacto iam armis milite, gradum facere. Atenim, non solet adhiberi ad enses conterendos incus, inquiet aliquis: ne conterantur, inquam, sed vstrinæ immittantur, & incude postmodùm adhibita, in falces, ligonesque mutentur. Placet addere argumentum ex verbis, diffido, diffindo, diffugio, displiceo, & similibus, quod statim capiet beneuolus lector.

ODE XXV.

Ad Sodales.

NVnc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc saliaribus
Ornare puluinar Deorum
Tempus erat dapibus, Sodales.
Antehac nefas depromere cæcubum
Cellis auitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & Imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum quidlibet impotens,

Sperare, fortunaque dulci
Ebria: sed minuit furorem
Vix vna sospes nauis ab ignibus,
Mentemque lymphatam mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis niualis
Æmoniæ, daret vt catenis
Fatale monstrum, quæ generosiùs
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit ensem, nec latentes
Classe cita reparauit oras.
Ausa & iacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, vt atrum
Corpore combiberet Venenum,
Deliberata morte ferocior;
Sæuis liburnis scilicet inuidens
Priuata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

Amicos, ad compotationem, & ad saltationem, inuitat Horatius; ob reportatam ab Augusto, de Cleopatra, Ægypti Regina, victoriam, quæ ab Actio, Epiri oppido, & promontorio ad mare, dicta est Actiaca, vbi profligatus etiam, Augusti eiusdem hostis, Antonius, cum suis, de quibus tamen omninò silet Poeta, ne pernicie ciuium lætari videatur.

Saliares ex Dapes, quæ Saliis apponebantur.

Erant Salij Martis Sacerdotes, à Numa Pompilio, Rege Romanorum secundo, instituti, qui, quòd per vrbem deferentes ancilia, siue scuta quædam breuia, saliendo incederent, sortiti sunt appellationem huiusmodi. Tunc porrò epulabantur opipare, quando decernebatur, ob rem aliquam bene gestam, vel certè ob calamitatem publicam, aut periculum imminens, ad omnia Deorum puluinaria, supplicatio; quas enim inferebant in templa escas alij, eas isti per quam strenuè vorabant: Nam sternebant Romani lectos Diis, & vt mollius accumberent, puluillos adiungebant; rati scilicet Deos iisdem, atque homines, demulceri posse illecebris, & iisdem honoribus capi.

Cæcubum, Campaniæ felicis oppidum, à quo vinum eiusdem nominis, haud semel decantatum: at vult Horatius ipsum è cellis auitis depromi, nempe ibi à maioribus conditum, ideóque vetustissimum, vnde commendatio sine dubio maior.

Regina, Cleopatra, gregem alebat Eunuchorum, qui rectè dicuntur viri turpes; nihil enim Eunu ho adulto, & ad virilem vsque progressso ætatem, in rerum natura, turpius; idcircò nobis horrori esse solent, vt horrori sunt, qui lepra, aut alio pari morbo inquinati, ex eo maximè, quòd Chrysostomo teste à vitiis animi persæpè superentur hîc vitia corporis.

Quidlibet sperare impotens, est quidlibet sperans, præ mentis impotentia; seu desideriis, & votis suis, præfigere metam nesciens; quòd nimia prosperitas ebriam faciat, vel ebriæ profectò similem, & ægrè constantem sibi: Gallicè quoque diceremus: *enyurée de sa bonne fortune.* Quòd autem ait Horatius: ebria, fortunâ dulci: vinum respicit, vnde sumpta metaphora est; nam citior à dulci ebrietas.

Sed minuit furorem vix vna sospes nauis ab igni-

bus : tumorem posuit barbara mulier, vbi vidit ægrè nauem vnam è tota sua classe superstitem; reliquas, vel haustas fluctibus, vel flammis absumptas: quod tamen extra verum, siquidem extra teli iactum Cleopatra erat, & impatiens moræ, cum sexaginta Ægyptiis nauibus, quam spectarat initio, arripuit posteà fugam, vti narrat Plutarchus, in Antonio.

Mareoticum, vinum scilicet, à Mareotide, quod aiunt, Ægypti palude. At mirum, fœminam potuisse lymphatam vino credi, quandoquidem lympha idem atque aqua est, aqua autem furorem non creat. Sed meminisse nos oportet existimasse veteres lympham, siue nympham, neque enim alterum distinguebant ab altero, numen aliquod esse, cuius qui speciem in fonte aliquando conspexisset, perpetuò eum furere: furor igitur non à vino, siue Baccho duntaxat verum etiam à nymphis, Bacchi nempe nutricibus. Iam verus timor, de quo nunc Poeta, timor est, incussus à vera Augusti victoria, quam præter expectationem Cleopatræ certum est contigisse. Qui Mareoticum, non à Mareotide palude, sed à fonte Marea, vel ab vrbe Marea certè haud procul Alexandria distante, appellatum existimant, non aliud tamen intelligunt, quàm Ægyptium vinum, natum scilicet in Ægypto, vbi hæc, & finitima his loca, vbi natum. Stephanus, de vrbibus, Maream, & Mareotidem, vnam, & eandem paludem esse putat.

Æmonia, Thracia potiùs, opinor, quàm Thessalia, sic ab Æmo monte, niuibus oppleri solito, dicta, qui eam à Thessalia dirimit, amœna enim Tempe Thessaliam beant.

Dare catenis, dare in catenas aut in vincula; vincire: quo pacto dictum ab aliis, dare in custodiam, in pistrinum, & in tormenta. Volebat autem

Cæſar fatale monſtrum illum, Cleopatram videlicet, ſeruare ad triumphum; ſed illa, quæ ducere bellum poterat, aut ſaltem in aliquas Libyæ ſeſe latebras abdere, maluit confodere pectus gladio? Quod quia facere minimè licuit, brachiis ſerpentes admouit, atque ita impuram animam æternis addixit ſuppliciis.

Liburni, Dalmatiæ populi ſæuiſſimi, quos nonnulli ſcripſere ab Amazonibus oriundos: ab his dictæ Liburnæ, ſeu Liburnicæ naues, quarum fuere inuentores, ad celeritatem, & curſum expeditæ. Creduntur autem eæ, in Actiaca pugna, Auguſto extitiſſe in primis vtiles, quòd inueherentur in Antoniacas facilè, faciléque ab iiſdem reſilirent, pluraque inferrent, quàm referrent inde incommoda.

ODE XXVI.

Ad Puerum.


PErſicos Odi, puer, apparatus;
Diſplicent nexæ Philyra coronæ:
Mitte ſectari roſa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo: neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me, ſub arcta
Vite bibentem.

Perſicos apparatus, interpretare ſumptuoſos, ac penè regios: idem enim Perſis contigit, ac poſteà Romanis, vt initio ſcilicet frugales admodùm eſ-

sent; & Persæ quidem adhiberent ad panem nihil, præter nasturtium, Romani verò pane ipso carerent, pulte sola contenti: Verùm vbi debellatis aliis longè latéque nationibus, propagati sunt fines, effusa est in impensas luxuria, & per vim extortæ, vltrò perditæ opes.

Philyra Græcum nomen φιλύρα, membrana tiliæ arboris, inter corticem, & lignum, sita, à qua lemnisci, apud veteres, quibus, vt vides, nectebantur coronæ. Sed Græcis, φιλύρα, tilia ipsa est, quam historiæ Plantar. lib. 3. cap. 10, describit eleganter Theophrastus, & aptè distinguit in marem, & fœminam. Vsui est insuper membrana illa huius arboris ad exarandas litteras, quarum vnas habui olim, ad me missas ex America.

Mitte sectari, noli quærere, rosam seram, quæ non mense Maio, Iuniove, sed Septembri, Octobrive nascatur: at non quærenda in præsens, quia occurrit perpetuò Romæ; habent enim amantes florum rosaria, quæ singulis mensibus ferant, quas ideò vocant lingua patria: *rose d'ogni mese*. Quid quod vt abessent rosaria huiusmodi, rosæ nihilominùs ad manum recentes, quandocumque liberet, esse possent? Modum norunt, naturæ, & artis mysteriorum, eximiè gnari.





LIBER II.

ODE I.

AD C. ASINIVM POLLIONEM.



OTVM ex Metello consule ciuicum,
Bellique causas, & vitia, & modos,
Ludumque fortunæ, gravesque
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis vncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum seueræ Musa tragœdiæ
Desit theatris mox vbi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti Pollio curiæ,
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures; iam litui strepunt;
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos iam videor duces
Non indecoro puluere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Iuno, & Deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Retulit inferias Iugurthæ.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulchris impia prælia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Quis gurges aut quæ flumina, lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?
Sed ne relictis Musa procax iocis
Ceæ retractes munera næniæ,
Mecum dionæo sub antro
Quære modos leuiore plectro.

Videtur Horatius monere Pollionem vt à scribendis tragœdiis, dum composita sit Resp. tantisper abstineat; sed occasione prudenter inde accepta, bellorum ciuilium furorem execratur manifestè; sic autem blanditur etiam Cæsari, & partum iam Imperium haud sanè dissimulanter probat. Qui modus insinuandi se in animum noui Principis, acutum fuisse ostendit Poetæ ingenium.

Motus ciuicus, perturbatio Reip. intestina seditio, quam consequuntur externæ calamitates plurimæ, dum Amici, atque socij, nunc sese ad has partes, nunc ad illas adiungunt; dum rapinæ, stupra, incendia, & paricidia, perpetrantur impunè: atqui Romæ visa omnia istæc ex quo iniit Consulatum Metellus; etenim L. Crassus, Cn. Pompeius, & C. Cæsar, primùm, postéaque M. Lepidus, M. Antonius, & Octauius, siue Octauianus, qui tandem Augustus appellatus est, amici, saltem in speciem, facti, verùm renunciata breui amicitia, mutuis se cladibus, suosque attriuerunt: vbi perpetuus fortunæ volubilis ludus.

Expiare, purgare est, & quidem certis ritibus: cruor autem perperam fusus expiatur, quando qui fudit, vel numen religiosè placat, vel certè pœnas luit admissi facinoris; tunc enim fit diuinæ Iustitiæ satis.

Musa theatris deest, cùm tragœdias omittit. Cothurni, tragœdorum proprij, quòd eos induerent, suas coràm recitaturi tragœdias. Bene autem cothurni cecropij, à Cecrope, Atheniensium Rege; non quòd ipse scripserit tragœdias primus, vbi enim gentium tragœdiæ illæ? Sed quòd primus Athenis regnarit, vbi floruere Sophocles, Euripides, Æschylus, tragœdiæ Atticæ parentes, oppidò inclyti.

De Pollione, sic Cerda in Virgilium: Pollio du-

ctor Germanici exercitus, cùm post captas Salonas, Dalmatiæ ciuitatem, primò triumphum duxisset, mox etiam Consulatum gessisset, eodem anno filium suscepit, quem à capta ciuitate Saloninum vocauit. Hæc Cerda. Pollionis triumphum respicit in præsenti Horatius, vocatque Dalmaticum, etsi non desunt, qui Salonas Dalmatiæ negent, velintque vrbem esse Liburniæ; sed Liburniam suprà Dalmatiæ fecimus partem, si quis tamen id minùs verum putet, distinguat alteram regionem ab altera, & Dalmatiam barbarè Sclauoniam vocet, Liburniam verò appellet Croatiam. At in istis nihil admodùm fixi, variant enim non rarò scriptores, & Sclauoniæ, seu Slauoniæ, meliùs, Dalmatiæque nomina, modò contrahunt modò etiam æquo longiùs proferunt.

Perstringere aures cornuum murmure, est ita clangorem tubarum exprimere versibus., vt lector exaudire videatur. Cætera, quæ subiungit Horatius, hypotyposin elegantem continent, amicique Pollionis commendationem.

Cuncta terrarum subacta, orbem Romanum intellige, qui Iulij Cæsaris imperium subiit, verùm ab eo se subduxit Cato minor, siue vticensis, qui sibi manum attulit: hinc iure dicitur atrox; non quia intrepidus, vti visum Lambino est, sed quia crudelis, ac sæuus, planéque inhumanus, vt qui in seipsum, præ odio, desperationeque, sæuierit: si enim id in seipsum, quid amabo, facturus in alterum?

Iugurtha, Manastabalis filius, Adherbalem, & Hyempsalem, Micipsæ patrui, Numidarum Regis filios, ab eo moriente suæ fidei creditos, per dolum interfecit, quo rerum potiretur solus; id ferentes ægrè Romani, bellum ei indixerunt, & captum à C. Mario necarunt in carcere; supplicij huius, iustissimè inflicti licet, à posteris eorum, à quibus infli-

ctum foret, Iunonem, aliosque Fautores Afrorum Deos, apud quos Numidia prouincia est, pœnas exegisse, ipsosque propterea in bello cæsos esse, profitetur Horatius; id enim inferiæ sonant, sacra scilicet, ad manes placandos instituta, in quibus iugulabantur victimæ; immò & homines ad busta mortuorum inhumanè mactabantur aliquando; ludi etiam dabantur gladiatorij, non sine pugnantium cæde sanè horribili, penitúsque damnanda: sed Christo debebantur alij mores.

Inulta tellus, Africa, quandiu florebat Romana Resp. neque mutuis sese bellis atterebat. Hesperia ruina; Hesperiæ, seu Italiæ clades, quæ à Medis, extra Imperium Romanum positis, audita, ideóque non parua, vt quæ tantum fragorem excitarit. Daunia, vti dictum alibi, Apulia est, hîc videtur per synecdochen accipi pro Italia tota, quanquam Italiæ tantùm pars, eaque non omnium maxima.

Cæa, quam sine diphthongo alij scribunt, Ægei maris insula; huic Cæus, Titanis filius, indidit nomen, famam verò conciliauit Simonides, Poeta Lyricus, ad lacrymas mouendas aptissimus: vnde lugubrem cantum, qui Latinis nænia est, Horatius aut Cæam, aut Cææ dixit næniam.

Dionem Hyginus Atlantis filiam, & matrem Pelopis facit; alij nihilominùs aiunt filiam esse Oceani, ac Tethyos, matrem autem Veneris, quæ similiter Dione nuncupata sit; ex ea Dionæum antrum, idem hoc loco ac venereum, & amatorium.

ODE

ODE II.

Ad C. Saluſtium Criſpum.

NVllus argento color eſt auaris
Abditæ terris inimice lamnæ
Criſpe Saluſti, niſi temperato
Splendeat vſu.
Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni;
Illum aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes.
Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.
Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri ſolio Phraatem,
Diſſidens plebi, numero Beatorum
Eximit virtus, populumque falſis
Dedocet vti
Vocibus, regnum, & diadema tutum,
Deferens vni, propriamque laurum,
Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.

Nullus argento color est, nisi temperato splendeat vsu; nulla pecuniarum dignitas, nulla gratia, nisi quæ iis honesto, liberalique vsu quæsita est: nempe is temperatus, qui sordidum inter & effusum medius; hic enim auarorum est, ille autem prodigorum; vterque addictus vitio, cui conuenire intemperantiæ appellatio possit: nam auarus non temperat sibi, neque prodigus proculdubio suis.

Lamna, syncope, pro Lamina: Laminam vsurpat Horatius pro metalli pretiosi facti, infectiue, recondita copia, quam dicit auaris terris abditam; non quòd iis auaritiam tribuat, sed quòd eas seruire auaritiæ norit: Auari enim defodiunt sua sæpiùs, vnde contingit vt cum ipsis vnà pereant non semel.

Proculeius erogauit patrimonium suum in fratres, bonis exutos, paternumque propterea ostendit aduersus eos animum: sic autem gloriam sibi parauit immortalem, quam venustè Poeta extentum æuum vocat. Alij scilicet vsque ad obitum viuunt, Proculeius viuet etiam post obitum, quia superstes erit liberalitatis eximiæ fama, quæ vitam eius ab obliuione, ac proinde ab interitu vindicabit. Iam, notus animi paterni, modus loquendi græcus; Latini dicerent: ob animum paternum notus; verùm Græci secundum casum adhibent ἐλλειπτικῶς, deficiente ἕνεκα, vel χάειν. De penna metuente solui, sunt qui litigent: sed cùm Princeps Poetarum huic nostro Poetæ præiuerit, quando dixit: *Arctos Oceani metuentes æquore tingi.* Vt significaret, nobis nunquam occidere astra illa: nunquam ideò, ex veterum opinione, marinis aquis mergi; nemo est quin videat pennam metuentem solui, pennam esse soluendam nunquam: sed sibi constantem futuram semper: aget igitur, seu efferet Pro-

culeitum pennata, siue alata perpetuò fama, cauebitque ne vnquam intercidant pennæ, ex quibus alæ constant.

Regnes, modus potentialis, idem sonans ac regnare possis, aut poteris. Pœnum vtrumque interpretatur Bondius vtriusque Carthaginis ciuem: Carthago enim noua, in Hispania est; vetus autem in Africa: malim ego interpretari cum Horatio ipso, de pœno Libyæ, & Gadium incola, vt enim consederunt in Libya, siue Africa, Pœni, seu Phœnices, ita inde migrarunt ex iis aliqui postea in Insulam vicinam Bethicæ, vbi condidere oppidum Gaddir, qui Latinis, æquè ac Insula, est Gades. Alij putant migrasse istos ex Phœnicia. Condidere quidem & Carthaginem Hispanicam Pœni, verùm eius Poeta noster non meminit. Videndus de Gaddir, siue Gadir, quæ Græcis est γάδειρα, deque noua Carthagine, Samuel Bochartus, Geograph. sacr. part. 2. lib. 1. vbi de Gadir, cap. 34. de Carthagine autem 35. disputat accuratè, docetque גדר, nihil aliud Pœnis esse, quàm septum Latinis; Carthaginem autem, Pœnis, קרת חדתא, Karth hadtha, quàm Græcis καινὴν πόλιν, Latinis, nouam vrbem: hæc Syris, & Chaldæis, etiam קרתא חדת, Kartha hadath, & Græcis exinde χαρχηδὼν: molliunt enim exoticas voces, plerunque duras, molles populi.

Hydrops, Celso, aqua intercus; aqua subter cutem fusa, Plinio. Nomen, inquit Vossius, ab aquoso aspectu, nam Græcè est ὕδρωψ; & ὕδωρ, aqua ὤψ autem, aspectus, vel etiam oculi: vnde à simili compositione, μύωψ, qui conniuentibus est oculis, & remota malignè videt, νυκτάλωψ, lusciosus. Indulget sibi morbus, imò morbidus potiùs, quando

F 2

bibit, verùm indulget perperam; quia calamitatem auget, & mortem arcessit. Etsi autem Poeta existimat hydropem in venis esse, aut certè à venis, à quibus dilabatur in reliquum corpus; ita tamen interdum certis partibus affixus est, iisque circumscriptus, vt minimè tunc venas spectare videatur, longè minùs totum corpus album facere, quòd ad corpus totum tunc haudquaquam pertineat. Iam eruditus quisque negotio nullo percipit, ab hydrope, & hydropico, ad pecunias, & auarum, metaphoram duci: siquidem auri sitis, imò auari, quotidiana numorum accumulatione magis magisque quotidie inflammatur.

Cyrus, Persarum Rex primus, qui Astyagem auum, Medorum Regem, vicit, & Medos seruire coegit Persis, magnam apud suos consecutus est famam: huius solium, quingentis pòst annis, occupauit Phraates, Orodis, Parthorum Regis, filius, qui M. Antonium triumuirum non exigua clade affecit, fugereque coegit in Armeniam. Videri ergo beatus poterat, quòd à patre viuente creatus Rex; quòd fratri Pacoro, magni nominis principi, præ filiis Orodis omnibus aliis, florentissimis licet, fortissimisque, subrogatus; quódque in bello periculosissimo victor: eum tamen ab hoc numero virtus eximit, quidquid tandem sentiat cæcutiens vulgus, & sola rerum specie animum pascens: quòd, impotenti flagrarit imperandi libidine Phraates: quòd patri de se optimè merito, fratribusque nihil turbarum molientibus, perniciem extremam attulerit.

Dissidens plebi, hellenismus, pro dissidens à plebe. Propria laurus, non communis, nec vulgaris, vel certè adeò vni debita, vt alteri nullo pacto danda sit. Est autem laurus victoriæ signum: quare palmam referet, non Phraates aliquis, ad regnum

euectus, & ab eo amisso in idem restitutus, verùm alius vel ex in sima plebe quiuis, dum suis imperarit cupiditatibus, diuitiasque nominatim generosè contempserit, seu ingentes pecuniarum cumulos nulla motus titillatione potuerit intueri; id enim est oculo irretorto spectare, vt spectauit Proculeius, qui proptereà tacitè Phraati anteponitur.

ODE III.

Ad Delium.

ÆQuam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secus in bonis,
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli:
Seu mœstus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni,
Quà pinus ingens, albaque populus,
Vmbram hospitalem consociare amant
Ramis; & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare riuo:
Huc vina, & vnguenta, & nimium breues
Flores amœnæ ferre iube rosæ,
Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.

Cedes coemptis saltibus, & domo;
Villaque, Flauus quam Tiberis lauit,
Cedes; & extructis in altum
Diuitiis potietur hæres.
Diuesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub diuo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur; omnium
Versatur vrna: seriùs ocyùs.
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Æqua mens, est eadem animi compositio, quæ scilicet neque rebus arduis, hoc est aduersis, deprimitur; nec extollitur bonis, siue secundis. Lætitia insolens, vel insueta, vel potiùs, hoc loco, immodica, quæ impellat ad superbiam, & humanæ conditionis obliuionem adducat.

Beare se, genio indulgere: nam alia non erat ethnicorum felicitas, & meritò sanè; cùm enim ignorarent vitam alteram, huius commodis inhærebant. Remotum gramen, herbosus, destitutusque ab incolis, locus.

Falernus, Campaniæ felicis regio, suauissimi vini ferax, quod ab ea Falernum appellatur; huius nota interior, est haud dubiè melior, quæ ideò non cuiuis obuia, siue quia in intimam cellam abdita erat, siue quia operimento aliquo tecta.

Pinus ingens, rectè; sola enim proceritate vmbram præstare hæc arbor potest; quare dum ingentem Poeta dicit, intelligit sine controuersia proceram. Sed cur ei albam populum adiungit, inquies?

Populum quidem, inquam, quia procera etiam admodùm est; albam verò, quia inter diuersæ speciei populos, hæc ad opacandum in primis idonea, foliis enim amplioribus, crassioribusque, luxuriat.

Trepidare, trepidè fluere: ait Lambinus. Sed cur trepidè? Dixerim ego, quia timidè: nam trepidare, timentium est, vti & fugere: timet autem lympha, siue nympha, quia sola est; prætereà trepidat, quia offendit ad saxa, vereturque ne membra mollia lædat. Sed sentientium ista sunt, inquies? Sentientium, inquam: quidni autem, ex mente Horatij, sentiat lympha ista, quæ in fuga laborat? Labor enim duntaxat sentientium. Si quis tamen à sensu abhorreat, dicat aquam trepidare, quòd quamvis obliquo cursu videatur magis plana quærere, in salebras nihilominùs penè perpetuò incurrat.

Sorores tres, Parcæ, de quibus ego alibi. Atra fila, nigra, quæ indicia mortis, quemadmodùm vitæ, alba. Nemo autem Antiquarius nescit, Parcarum esse fila, quibus filis accisis, vitam nostram finiri necesse sit, ex mythologorum vulgata sententia, quæ passim apud veteres Poetas occurrit.

Cessurus erat saltibus coemptis Delius, hoc est, hæredi relictutus comparata pretio nemora; relicturus item domum suam, & prædium ripæ Tiberis fluuij adiacens: denique, ingentes nummorum aceruos quos cura indefessa congesserat, & certò, ac propediem moriturus: ex quo cum impiis apertè canit parum pius Horatius: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* At subiungit apposité Sapiens: *Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iu-*

stitia, nec indicauerunt honorem animarum sanctarum: quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Sap. cap. 2. Placuit ista paulo longiora objicere Christianis adolescentibus, quasi salutaria liberiorum Poetæ huius carminum, passim sese ingerentium, amuleta.

Inachus, primus Argiuorum Achaiæ populorum Rex, à quo tota regio dicta est Inachia. Inachi filia, Io, quæ ab Ægyptiis nuncupata est Isis.

Morari sub diuo, aut sub dio, quod alibi, sub Ioue frigido, est sub cœlo manere, ac sine tecto esse; quod summè miseris conuenit.

Orcus, Pluto, Inferorum Deus, quem Hyginus, Fabul. 139. à Saturno patre in tartara deiectum ait. Orcus item Thessaliæ fluuius, de quo tamen hîc minimè agitur. Orci victima, morti obnoxius, vna voce mortalis, qualis est, quisquis ab Adamo est natus.

Vrnam versare, est mouere, aut vertere sæpius, postquam coniectæ in eam sortes, perinde ac si casu omnes moreremur: at neque mori nos, nec damnari, sine certo Dei decreto, significat Christus, quando de se ait, Apoc. cap. 1. *Ego sum primus, & nouissimus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.* Quis enim aditum sibi, aliisue, ad claustrum aliquod aperiat, nisi apud ipsum sint claues? Atqui claues istæ apud Christum duntaxat sunt. De cymba, seu nauicula Charontis, fabulatur eleganter Virgilius, & cum eo Poetæ alij: sed in re adeò seria, vbi æternitatis cardo vertitur, ad fabulas haudquaquam respicimus.

ODE IV.

Ad Septimium.

SEptimi Gades aditure mecum, &
Cantabrum indoctũ iuga ferre nostra, &
Barbaras Syrtes, vbi maura semper
Æstuat vnda,
Tibur, Argeo positum colono,
Sit meæ sedes vtinam senectæ;
Sit modus lasso maris, & viarum,
Militiæque.
Vnde si Parcæ prohibent iniquæ;
Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen, & regnata petam laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, vbi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.
Ver vbi longum, tepidasque præbet
Iupiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho, minimùm Falernis
Inuidet vuis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces; vbi tu calentem
Debita sparges lacryma fauillam
Vatis amici.

De Gadibus actum suprà: sed cum Gades nominat, spectat, opinor, columnas Herculis, & vltimos Hispaniæ, adeóque Europæ fines, ad quos, si opus foret, comes iret Poetæ Septimius.

Cantabri, feroces Hispaniæ populi, partem montis Pyrenæi occiduam insidentes, vbi hodie Nauarræi, ab Agrippa tandem domiti, Cæsaris Augusti felicibus auspiciis; ante semper inuicti. Quid Syrtes, libro primo exposuimus: verè autem æstuare ibi vnda scribitur; quia Syrtes verè in æstuariis, nisi mauis vera ipsas putare æstuaria.

Tibur Argeo positum colono: quia & conditorem, & incolam habuit, Argeum, siue Argiuum hominem, Tiburnum, seu Tiburtum, Catylli, Thebani Vatis, filium.

Parcæ iniquæ: non iniustæ. sed immites, ac duræ, quodque de orco, seu Plutone, Tartarove, prius dictum, nil miserantes, & planè inexorabiles: quia nempe, quod Apostolus prædicat, statutum est hominibus semel mori.

Galesus, Calabriæ fluuius, vbi oues pellitæ, siue pellibus opertæ; vt earum vellus, opinor, mollius foret; vel vt ipsæ profectò cæli, non semper arridentis iniurias ferrent leuiùs. Nonnulli opertas pellibus volunt, ne lanam inquinarent; quasi verò deesset opilionibus, ad sordes abluendas, in solo tam vberi, aqua.

Phalantus, cum iuuenibus aliis, Lacedæmone profectus, Tarentum, Calabriæ oppidum, à Tara, Neptuni filio, iam extructum, reparauit, ibique sedem fixit, cui etiam paruit finitima regio: aptè autem ea dicitur, angulus: quia cùm extrema Italiæ sit, & cingatur mari vndique, desinatque in cuspidem, aut cornu, anguli figuram exprimit.

Ridet, hoc loco; arridet, placet: placet verò, quòd

melle, oleo, & vino præstantissimo abundat: quodque nec nimium calorem æstate, neque frigus hyeme patiatur importunum. Decedunt, cedunt: prius enim, pro composito simplex, nunc pro simplici, compositum verbum: vt & mella, numerus pluralis pro singulari. Mel igitur Calabriæ non cedit melli Atticæ, vbi mons Hymettus, in quo herbæ odoriferæ, ex his enim exceptum mel non potest non esse notæ optimæ; quandoquidem pars mellis altera è celesti rore est, altera ex eximio plantarum, quibus insidet, succo.

Venafrum, Campaniæ felicis oppidum, cuius ager optimi olei ferax. Hîc autem figura duplex: certat Venafro, hel lenismus; nam μάχομαι, quod certo est Latinis, casum tertium postulat apud Græcos. Iam Venafrum, pro bacca, seu oliua Venafrana, metonymia est, qualis paulo antè Hymettus, pro hymettio melle. Neque extra rem, Venafrum viride: nam oliuas generans arbor, quam Latini oliuam etiam vocant, perpetuò viret. Nimirùm, vt hoc obiter moneam, in concinnandis, coniungendisque simul carminum istorum vocabulis, accuratus, & elegans in paucis, Horatius.

Aulon, Calabriæ mons, non Baccho tantùm, sed Horatio etiam amicus, & quidem quia Baccho amicus Horatius: ibi ergo exhalare is animam cupit, & corpus dare cremandum, ex vsu tunc recepto, vt calidi, recentesque à busto cineres, piis Septimi lacrymis aspergantur.

ODE V.

Ad Pompeium Varum.

O Sæpe mecum tempus in vltimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonauit Quiritem
Diis patriis, Italoque cœlo,
Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem, mero
Fregi coronatus nitentes,
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;
Cùm fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso pauentem sustulit aere;
Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Ioui dapem,
Longàque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.
Obliuioso læuia Massico
Ciboria exple; funde capacibus
Vnguenta de conchis. Quis vdo,

Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego saniùs
Baccabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est Amico.

Sæpe tempus in vltimum, vitæ scilicet, idem ve crebro de vita periclitatus, in extremas haud semel adactus angustias. Bruto militiæ duce; quando Bruti, & Cassij legionibus adscripti, contra Cæsarem pugnabamus. Commilito igitur Horatij Varus, at Sodalis vox patet latiùs: Sodales enim etiam sunt, qui nunquam fuere milites.

Morans dies, non citò transiens, ideóque longus, & molestus; hunc Poeta solidum alibi vocat: frangi dicitur, quoties demitur pars eius aliqua, & cuti curandæ impenditur: quod præ aliis faciunt, dum vacant à bello milites: nam à Marte, continuò ad Bacchum abeunt. Malobathrum, vnguentum, vel quòd adueheretur è Syria, dictum Syrium, vel certè, quòd mos eo vtendi vigeret maximè in Syria.

Philippi, Thessaliæ ciuitas, à Philippo Macedone, Alexandri Magni Patre, condita, iuxta quam Philippici campi, quos Cn. Pompeius, & Iulius Cæsar primùm, postéaque Cassius, & Augustus, cæde ciuium funestarunt: ibi, abiecto clypeo, arripuit fugam turpiter, cum multis aliis Cassianis, Horatius, qui videtur fuisse aptus magis ad siccanda pocula, quàm ad spicula vibranda.

Tangere solum, seu terram, mento, est pronum, aut in faciem cadere. Sic cecidere Cassiani, minarum anteà pleni, quos propterea obiter perstringit Horatius: horum enim virtus bellica, ventosæ linguæ fuit potius, quàm fortis, constantisque dexteræ.

hinc pudendus eorum proculdubio casus. Lepidè autem ereptum se à Mercurio Poeta non illepidus fingit; siquidem ita finguntur à Virgilio, & Homero, erepti alij, ab aliis Diis, objecta hostium oculis nube crassa, & atra, quam iste densum aerem scitè nuncupat.

Resorbens vnda, est scopuli alicuius, qui per cæcos meatus aquas emittit, immittitque, summa vi; sic verò vicina nauigia exitio certo exponit. Qua metaphora notatur discrimen, in quod conjiciunt se, qui bellis ciuilibus implicantur perpetuò, ij tamen maximè, qui duces sequuntur improuidos: nam eos, extra dubium omne, infelix manet exitus.

Obligatam dapem, promissum sacrificium interpretare, nam erat quasi Deorum epulum: tandem ergo perspexerit Varus, in quas partium studio, deuenerit angustias, & ad numinum opem exorandam compulsus fuerit, & meritò necessitas enim, vel ab impiis, vota exprimit.

Ciboria, κιβώεια, Græca vox, quam volunt ab Ægyptiis fuisse acceptam: sunt autem ciboria, pocula, quæ putem satis ampla, quamuis in angustum desinerent: neque enim in larga compotatione adhibita forent vasa exilia. De Massico vino actum prima Ode libri primi: placebat autem præcipuè vetus, quia recens austerum. Sed cur obliuiosum, nisi quia soporiferum? Ita censent ferè Interpretes; obliuiosum tamen etiam appellauerim, quia hilariores conuiuas facit, proindeque humanarum calamitatum minimè memores: Nam si soporis, profectæque inde obliuionis, habetur vna ratio, exigua omninò Massici laus, eique cum opio communis; sopor enim conciliatur similiter opio. Quid quod à sopore haud pauci valdè abhorrent? Quærenda igitur obliuionis causa, & quidem iucundior, alia:

ea verò erit hilaritas, ac lætitia, quam crearit epularum suauitas, epulantiumque amica consuetudo.

Fundere vnguenta de conchis: vel conchas propriè dictas vnguentis exhaurire, vel vasa certè alia, industriè, atque operosè, ad concharum speciem expressa. Vnguentis porrò accedebant coronæ; cùm autem Poeta, ex myrto, aut apio confectas postulet, haud dubiè postulat obuias, quòd moras in parando non ferat, propterea vsus deproperandi verbo.

Venus, talorum, seu astragalorum felicissimus iactus, qui tunc tantùm contingebat, cùm dissimilis omnium erat facies, ita vt primus Monadem, ternarium secundus, quaternarium tertius exhiberet, & senarium, quartus: nam talis quatuor ludebant veteres, nos tribus contenti tesseris sumus. Talos autem appellabant, quòd ex pedum ossibus, quæ Latinis tali, ἀςϱάγαλοι Græcis, formarint eos primùm; posteà tamen, crescente cum opibus luxuria, nullus dubito, quin ex nobiliori longè materia confecti sint, eadem appellatione vsurpata.

Bacchari, largiùs bibere, quo pacto bibebant eo sæculo, Edoni, seu Edonij, Thraciæ populi, Edonis, eiusdem prouinciæ montis, incolæ: qui mons videtur antiphrasticè dictus Edon, Græcè ἥδων; ἥδων enim participium est verbi ἥδω, Latinè delecto, lætifico; quî verò delectaret, lætificaretque mons altissimus, perpetuis penè niuibus tectus?

Furor, quem ostentat ad calcem Odes Poeta, vbi ait: recepto dulce mihi furere est amico: hyperbolen sapit, neque enim adeò erat hebes, homo educatus liberaliter, & cum principibus diu versatus, vt crederet gratam fore Varo reduci ebrietatem, & ex ebrietate insaniam.

ODE VI.

Ad Valgium.

NOn ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, au mare caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, ſtat glacies iners,
Menſes per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu ſemper vrges flebilibus modis
Myſten ademptum; nec tibi veſpero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente ſolem.
At non ter æuo functus amabilem
Plorauit omnes Antilochum ſenex
Annos nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ ſorores
Fleuere ſemper. Deſine mollium
Tandem querelarum, & potiùs noua
Cantemus Auguſti trophæa
Cæſaris, & rigidum Niphaten,
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores voluere vortices;
Intraque præſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Nec perpetuæ in terra pluuiæ, nec perpetuæ in mari tempestates. Hispidi agri, deformes, horridi, Autumno, post ablatas segetes, cùm restant arentes culmi, tamen hyeme magis.

Mare Caspium, à Caspiis montibus, & Hyrcanum, ab Hyrcanis, Scythiæ populis; hodie, Mar de Sala, & Mar de Bacchu littoribus vndique clausum, ideóque lacus potiùs, quàm mare, suis non caret procellis, hyeme præsertim; tunc enim flant venti à Septentrionali plaga, & aliis, qui æquabilem illam aquarum faciem sulcant, & efficiunt mirè asperam.

Armenia, regio Asiæ, sita inter Taurum, & Caucasum montes, vnde immania frigora, quæ per æstatem temperantur nihilominùs. Garganum non quercus nunc, sed patrata, Michaelis Archangeli ope, miracula, celebrem reddunt: est autem Garganus in Apulia. Ornum, Siluestrem fraxinum alij dicunt, existimauerim ego Fraxinum esse fœminam, sexu enim distinguuntur pleræque arbores, vti clarum in vlmo, ac tilia; nec minùs clarum, sententia mea, in Fraxino.

Mystes, puer, Valgio carus in primis: huius obitum deflebat perpetuò Valgius, aut, vt ait Poeta, manè, & vesperi: vtrumque id tempus eadem designat stella, quam appellant venerem Astronomi, Poetæ Phosphorum, aut luciferum, quando Solem Orientem antecedit; & quando subsequitur, vesperum: Horatius tamen & antecedentem, & subsequentem, hoc loco vesperum appellauit: & cum antecedit, solem fugere dixit; cùm autem subsequitur dixit surgere.

Senex ter æuo functus, Nelei, & Chloridis filius Nestor, Antilochi Pater, qui ad bellum Troianum profectus, à Memnone, Auroræ filio, interfectus.

te defluens, Tigrim tandem illabitur: Medus etus, qui Araxem, ex Media decurrens: eleganter a-nos Horatius ait, vel hos leniùs fluere, vel minùs ab-a-dare aquis, ob susceptum Romanæ seruitutis iugum, perinde ac si sensu præditi essent. Porrò Medum flumen, vt Metaurum flumen, & flumen Rhenum, Rhenus aliàs, & Metaurus: qui modus dicendi, nouus licet, sua non putatur carere venustate.

Geloni, Scythiæ populi, Agathyrsis vicini, dicti, inquit Cibenius, à Gelono, Herculis filio; ego æquè à gelu nomen sortitos affirmarim: contentos quidem suis finibus Horatius, verùm Augusti metu potiùs, quàm sponte suâ contentos repræsentat.

ODE VII.

Ad Licinium.

Rectiùs viues, Licini, neque altum
Semper vrgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimiùm premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus; & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

stitiæ, nec indicauerunt honorem animarum sanctarum: quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Sap. cap. 2. Placuit ista paulo longiora objicere Christianis adolescentibus, quasi salutaria liberiorum Poetæ huius carminum, passim sese ingerentium, amuleta.

Inachus, primus Argiuorum Achaiæ populorum Rex, à quo tota regio dicta est Inachia. Inachi filia, Io, quæ ab Ægyptiis nuncupata est Isis.

Morari sub diuo, aut sub dio, quod alibi, sub Ioue frigido, est sub cœlo manere, ac sine tecto esse; quod summè miseris conuenit.

Orcus, Pluto, Inferorum Deus, quem Hyginus, Fabul. 139. à Saturno patre in tartara deiectum ait. Orcus item Thessaliæ fluuius, de quo tamen hîc minimè agitur. Orci victima, morti obnoxius, vna voce mortalis, qualis est, quisquis ab Adamo est natus.

Vrnam versare, est mouere, aut vertere sæpius, postquam coniectæ in eam sortes, perinde ac si casu omnes moreremur: at neque mori nos, nec damnari, sine certo Dei decreto, significat Christus, quando de se ait, Apoc. cap. 1. *Ego sum primus, & nouissimus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.* Quis enim aditum sibi, aliisue, ad claustrum aliquod aperiat, nisi apud ipsum sint claues? Atqui claues istæ apud Christum duntaxat sunt. De cymba, seu nauicula Charontis, fabulatur eleganter Virgilius, & cum eo Poetæ alij: sed in re adeò seria, vbi æternitatis cardo vertitur, ad fabulas haudquaquam respicimus.

ODE IV.

Ad Septimium.

SEptimi Gades aditurẻ mecum, &
Cantabrum indoctũ iuga ferre nostra, &
Barbaras Syrtes, vbi maura semper
Æstuat vnda,
Tibur, Argeo positum colono,
Sit meæ sedes vtinam senectæ;
Sit modus lasso maris, & viarum,
Militiæque.
Vnde si Parcæ prohibent iniquæ;
Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen, & regnata petam laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, vbi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.
Ver vbi longum, tepidasque præbet
Iupiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho, minimùm Falernis
Inuidet vuis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces; vbi tu calentem
Debita sparges lacryma fauillam
Vatis amici.

De Gadibus actum suprà: sed cum Gades nominat, spectat, opinor, columnas Herculis, & vltimos Hispaniæ, adeóque Europæ fines, ad quos, si opus foret, comes iret Poëtæ Septimius.

Cantabri, feroces Hispaniæ populi, partem montis Pyrenæi occiduam insidentes, vbi hodie Nauarræi, ab Agrippa tandem domiti, Cæsaris Augusti felicibus auspiciis, ante semper inuicti. Quid Syrtes, libro primo exposuimus: verè autem æstuare ibi vnda scribitur; quia Syrtes verè in æstuariis, nisi mauis vera ipsas putare æstuaria.

Tibur Argeo positum colono: quia & conditorem, & incolam habuit, Argeum, siue Argiuum hominem, Tiburnum, seu Tiburtum, Catylli, Thebani Vatis, filium.

Parcæ iniquæ: non iniustæ. sed immites, ac duræ, quodque de orco, seu Plutone, Tartarove, prius dictum, nil miserantes, & planè inexorabiles: quia nempe, quod Apostolus prædicat, statutum est hominibus semel mori.

Galesus, Calabriæ fluuius, vbi oues pellitæ, siue pellibus opertæ; vt earum vellus, opinor, mollius foret; vel vt ipsæ profectò cæli, non semper arridentis iniurias ferrent leuiùs. Nonnulli opertas pellibus volunt, ne lanam inquinarent; quasi verè deesset opilionibus, ad sordes abluendas, in solo tam vberi, aqua.

Phalantus, cum iuuenibus aliis, Lacedæmone profectus, Tarentum, Calabriæ oppidum, à Tara, Neptuni filio, iam extructum, reparauit, ibique sedem fixit, cui etiam paruit finitima regio: aptè autem ea dicitur, angulus: quia cùm extrema Italiæ sit, & cingatur mari vndique, desinatque in cuspidem, aut cornu, anguli figuram exprimit.

Ridet, hoc loco; arridet, placet: placet verò, quòd

melle, oleo, & vino præstantissimo abundat: quodque nec nimium calorem æstate, neque frigus hyeme patiatur importunum. Decedunt, cedunt: prius enim, pro composito simplex, nunc pro simplici, compositum verbum: vt & mella, numerus pluralis pro singulari. Mel igitur Calabriæ non cedit melli Atticæ, vbi mons Hymettus, in quo herbæ odoriferæ, ex his enim exceptum mel non potest non esse notæ optimæ; quandoquidem pars mellis altera è celesti rore est, altera ex eximio plantarum, quibus insidet, succo.

Venafrum, Campaniæ felicis oppidum, cuius ager optimi olei ferax. Hîc autem figura duplex: certat Venafro, hellenismus; nam μάχομαι, quod certo est Latinis, casum tertium postulat apud Græcos. Iam Venafrum, pro bacca, seu oliua Venafrana, metonymia est, qualis paulo antè Hymettus, pro hymettio melle. Neque extra rem, Venafrum viride: nam oliuas generans arbor, quam Latini oliuam etiam vocant, perpetuò viret. Nimirùm, vt hoc obiter moneam, in concinnandis, coniungendisque simul carminum istorum vocabulis, accuratus, & elegans in paucis, Horatius.

Aulon, Calabriæ mons, non Baccho tantùm, sed Horatio etiam amicus, & quidem quia Baccho amicus Horatius: ibi ergo exhalare is animam cupit, & corpus dare cremandum, ex vsu tunc recepto, vt calidi, recentesque à busto cineres, piis Septimi lacrymis aspergantur.

ODE V.

Ad Pompeium Varum.

O Sæpe mecum tempus in vltimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonauit Quiritem
Diis patriis, Italoque cœlo,
Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem, mero
Fregi coronatus nitentes,
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;
Cùm fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso pauentem sustulit aere;
Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Ioui dapem,
Longáque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.
Obliuioso læuia Massico
Ciboria exple; funde capacibus
Vnguenta de conchis. Quis vdo

Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego saniùs
Baccabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est Amico.

Sæpe tempus in vltimum, vitæ scilicet, idem vt crebro de vita periclitatus, in extremas haud semel adactus angustias. Bruto militiæ duce; quando Bruti, & Cassij legionibus adscripti, contra Cæsarem pugnabamus. Commilito igitur Horatij Varus, at Sodalis vox patet latiùs: Sodales enim etiam sunt, qui nunquam fuere milites.

Morans dies, non citò transiens, ideóque longus, & molestus; hunc Poeta solidum alibi vocat: frangi dicitur, quoties demitur pars eius aliqua, & cuti curandæ impenditur: quod præ aliis faciunt, dum vacant à bello milites: nam à Marte, continuò ad Bacchum abeunt. Malobathrum, vnguentum, vel quòd aduеheretur è Syria, dictum Syrium, vel certè, quòd mos eo vtendi vigeret maximè in Syria.

Philippi, Thessaliæ ciuitas, à Philippo Macedone, Alexandri Magni Patre, condita, iuxta quam Philippici campi, quos Cn. Pompeius, & Iulius Cæsar primùm, postèaque Cassius, & Augustus, cæde ciuium funestarunt: ibi, abiecto clypeo, arripuit fugam turpiter, cum multis aliis Cassianis, Horatius, qui videtur fuisse aptus magis ad siccanda pocula, quàm ad spicula vibranda.

Tangere solum, seu terram, mento, est pronum, aut in faciem cadere. Sic cecidere Cassiani, minarum anteà pleni, quos propterea obiter perstringit Horatius: horum enim virtus bellica, ventosæ linguæ fuit potius, quàm fortis, constantisque dexteræ a

hinc pudendus eorum proculdubio casus. Lepidè autem ereptum se à Mercurio Poeta non illepidus fingit; siquidem ita finguntur à Virgilio, & Homero, erepti alij, ab aliis Diis, objecta hostium oculis nube crassa, & atra, quam iste densum aerem scitè nuncupat.

Resorbens vnda, est scopuli alicuius, qui per cæcos meatus aquas emittit, immittitque, summa vi; sic verò vicina nauigia exitio certo exponit. Qua metaphora notatur discrimen, in quod conjiciunt se, qui bellis ciuilibus implicantur perpetuò, ij tamen maximè, qui duces sequuntur improuidos: nam eos, extra dubium omne, infelix manet exitus.

Obligatam dapem, promissum sacrificium interpretare, nam erat quasi Deorum epulum: tandem ergo perspexerit Varus, in quas partium studio, deuenerit angustias, & ad numinum opem exorandam compulsus fuerit, & meritò necessitas enim, vel ab impiis, vota exprimit.

Ciboria, κιβώρια, Græca vox, quam volunt ab Ægyptiis fuisse acceptam: sunt autem ciboria, pocula, quæ, putem satis ampla, quamuis in angustum desinerent: neque enim in larga compotatione adhibita forent vasa exilia. De Massico vino actum prima Ode libri primi; placebat autem præcipuè vetus, quia recens austerum. Sed cur obliuiosum, nisi quia soporiferum? Ita censent ferè Interpretes; obliuiosum tamen etiam appellauerim, quia hilariores conuiuas facit, proindeque humanarum calamitatum minimè memores: Nam si soporis, profectæque inde obliuionis, habetur vna ratio, exigua omninò Massici laus, eique cum opio communis; sopor enim conciliatur similiter opio. Quid quod à sopore haud pauci valdè abhorrent? Quærenda igitur obliuionis causa, & quidem iucundior, alias

ea verò erit hilaritas, ac lætitia, quam crearit epularum suauitas, epulantiumque amica consuetudo.

Fundere vnguenta de conchis: vel conchas propriè dictas vnguentis exhaurire, vel vasa certè alia, industriè, atque operosè, ad concharum speciem expressa. Vnguentis porrò accedebant coronæ; cùm autem Poeta, ex myrto, aut apio confectas postulet, haud dubiè postulat obuias, quòd moras in parando non ferat, propterea vsus deproperandi verbo.

Venus, talorum, seu astragalorum felicissimus iactus, qui tunc tantùm contingebat, cùm dissimilis omnium erat facies, ita vt primus Monadem, ternarium secundus, quaternarium tertius exhiberet, & senarium, quartus: nam talis quatuor ludebant veteres, nos tribus contenti tesseris sumus. Talos autem appellabant, quòd ex pedum ossibus, quæ Latinis tali, ἀστράγαλοι Græcis, formarint eos primùm; posteà tamen, crescente cùm opibus luxuria, nullus dubito, quin ex nobiliori longè materia confecti sint, eadem appellatione vsurpata.

Bacchari, largiùs bibere, quo pacto bibebant eo sæculo, Edoni, seu Edonij, Thraciæ populi, Edonis, eiusdem prouinciæ montis, incolæ: qui mons videtur antiphrasticè dictus Edon, Græcè ἥδων; ἥδων enim participium est verbi ἥδω, Latinè delecto, lætifico; quî verò delectaret, lætificaretque mons altissimus, perpetuis penè niuibus tectus?

Furor, quem ostentat ad calcem Odes Poeta, vbi ait: recepto dulce mihi furere est amico: hyperbolen sapit, neque enim adeò erat hebes, homo educatus liberaliter, & cum principibus diu versatus, vt crederet gratam fore Varo reduci ebrietatem, & ex ebrietate insaniam.

ODE VI.

Ad Valgium.

NOn ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, au mare caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, ſtat glacies iners,
Menſes per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu ſemper vrges flebilibus modis
Myſten ademptum; nec tibi veſpero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente ſolem.
At non ter æuo functus amabilem
Plorauit omnes Antilochum ſenex
Annos nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ ſorores
Fleuere ſemper. Deſine mollium
Tandem querelarum, & potiùs noua
Cantemus Auguſti trophæa
Cæſaris, & rigidum Niphaten,
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores voluere vortices;
Intraque præſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Nec perpetuæ in terra pluuiæ, nec perpetuæ in mari tempestates. Hispidi agri, deformes, horridi, Autumno, post ablatas segetes, cùm restant arentes culmi, tamen hyeme magis.

Mare Caspium, à Caspiis montibus, & Hyrcanum, ab Hyrcanis, Scythiæ populis; hodie, Mar de Sala, & Mar de Bacchu littoribus vndique clausum, ideóque lacus potiùs, quàm mare, suis non caret procellis, hyeme præsertim; tunc enim flant venti à Septentrionali plaga, & aliis, qui æquabilem illam aquarum faciem sulcant, & efficiunt mirè asperam.

Armenia, regio Asiæ, sita inter Taurum, & Caucasum montes, vnde immania frigora, quæ per æstatem temperantur nihilominùs. Garganum non quercus nunc, sed patrata, Michaelis Archangeli ope, miracula, celebrem reddunt: est autem Garganus in Apulia. Ornum, Siluestrem fraxinum alij dicunt, existimauerim ego Fraxinum esse fœminam, sexu enim distinguntur pleræque arbores, vti clarum in vlmo, ac tilia; nec minùs clarum, sententia mea, in Fraxino.

Mystes, puer, Valgio carus in primis: huius obitum deflebat perpetuò Valgius, aut, vt ait Poeta, manè, & vesperi: vtrumque id tempus eadem designat stella, quam appellant venerem Astronomi, Poetæ Phosphorum, aut luciferum, quando Solem Orientem antecedit; & quando subsequitur, vesperum: Horatius tamen & antecedentem, & subsequentem, hoc loco vesperum appellauit: & cum antecedit, solem fugere dixit; cùm autem subsequitur dixit surgere.

Senex ter æuo functus, Nelei, & Chloridis filius Nestor, Antilochi Pater, qui ad bellum Troianum profectus, à Memnone, Auroræ filio, interfectus

facilè foret, nisi accurrisset Antiochus, qui seruarit Patrem, sed à Memnone est cæsus. Tertiam autem hominum ætatem iam vixerat Pater; ex quo aliqui colligunt ad trecentesimum vitæ annum peruenisse tunc, alij nonagesimum duntaxat attigisse: vtrosque alucinari ego arbitror; illos quidem, quia nullius erat eo sæculo tanta ætas: nec si qua fingeretur, ad bellum gerendum foret apta: hos verò, quia triginta tribus annis, vti docet Herodotus, definitur ætas quælibet; ideò Nestor, qui exegerat iam tres, vel attigerat, vel prætergressus centesimum annum fuerat, quod egregiè confirmat Satyricus, quando ait:

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ:
Felix nimirùm; qui per tot sæcula vitam
Distulit, atque suos iam dextra computat annos.

Computabant Antiqui videlicet vtriusque manus digitis, & sinistrâ quidem attingebat nonagesimum bonum numerum, dextra verò centesimum, & alios notabant consequentes: id figuris digitorum expressis clarum facit Pierius Valerianus.

Troili, ab Achille occisi, parentes extitere Priamus, & Hecuba, sorores oppidò plures; fertur enim Priamus liberos quinquaginta genuisse: Hyginus adiungit ad cumulum, quatuor, sed non omnium expedita satis nomina: neque id profectò ad remp. litterariam multùm interest.

Desine querelarum, Græco loquendi more, Latinus, desine querelas, diceret: vel certè queri desine. Molles autem querelæ, quia mollium sunt, puerorum scilicet, qui mœsti, ad matres, nutricesve confugiunt, & mulierum, quæ apud quoscunque fermè obuios exonerant animum.

Niphates, fluuius, qui ex Niphate, Armeniæ mon-

te defluens, Tigrim tandem illabitur: Medus verò, qui Araxem, ex Media decurrens: eleganter autem Horatius ait, vel hos leniùs fluere, vel minùs abundare aquis, ob susceptum Romanæ seruitutis iugum, perinde ac si sensu præditi essent. Porrò Medum flumen, vt Metaurum flumen, & flumen Rhenum, Rhenus aliàs, & Metaurus: qui modus dicendi, nouus licet, sua non putatur carere venustate.

Geloni, Scythiæ populi, Agathyrsis vicini, dicti, inquit Cibenius, à Gelono, Herculis filio; ego æquè à gelu nomen sortitos affirmarim: contentos quidem suis finibus Horatius, verùm Augusti metu potiùs, quàm sponte sua contentos repræsentat.

ODE VII.

Ad Licinium.

Rectiùs viues, Licini, neque altum
Semper vrgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimiùm premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus; & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem, bene præparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Iupiter, idem
Summouet. Non ſi malè nunc, & olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.
Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimiùm ſecundo
Turgida vela.

Rectiùs viues, meliùs vitam inſtitues: Neque altum ſemper vrgendo; ſi neque in medio mari perpetuò nauigaueris: neque dum procellas cautus horreſcis, nimiùm premendo littus iniquum; neque littora etiam, præſertim importuoſa, legeris: ideſt, ſi fueris mediocri fortuna contentus; neque te, aut ad opes maximas, & ſummos honorum extuleris gradus, aut ad inopiam, ſordeſque, abieceris.

Auream quiſquis mediocritatem diligit; quiſquis enim ita comparatus eſt, vt auro anteponenda placeat ei mediocritas: tutus caret obſoleti ſordibus tecti: vt non reformidabit tugurij ruſticani anguſtias viles: caret inuidenda ſobrius aula, ſic neque domus regiæ amplitudinem inclytam requiret magnopere.

Sæpius ventis agitatur ingens pinus, quia non omnes venti humiles, & qui pugnant inuicem, qui quidem moleſtiores ſunt, ſublimè vtplurimùm pugnant: & celſæ grauiore caſu decidunt turres, quia quo altior locus, vnde ruina eſt, eo impetus maior;

motu enim naturali grauium, augetur iis impetus, & motu violento minuitur: feriuntque summos fulmina montes, quia obliquè feruntur fulmina, idcircò in montes, quo assurgunt altiùs, eo incurrunt faciliùs.

Bene præparatum pectus, fortis, & erectus animus: sperat infestis, metuit secundis, alteram sortem; ita res præsentes attendit, vt futuras etiam prospiciat, quando igitur præsentes malæ, bonas expectat, & quando bonæ, malas, inter spem, metumque constitutus: informes hiemes reducit Iupiter, idem summouet: eadem diuina prouidentia succedunt sibi diuersæ anni tempestates, & quæ omnium molestissimam reuocat, hanc item amandat opportunè: non si malè nunc, & olim sic erit, incommodum fortè adest? cogita breui adfuturum vicissim tibi commodum: quondam cithara tacentem suscitat musam, neque semper arcum tendit Apollo: ne Apollo quidem ipse semper vultu eodem est, siquidem interdum aperta, & exporrecta fronte, citharam pulsat, interdum caperata, & obducta, sagittis ferit.

Rebus angustis, animosus, atque fortis appare. Gallicè dicimus: *Contre mauuaise fortune, bon cœur.* Sapienter idem contrahes vento nimiùm secundo turgida vela: quemadmodùm nautæ vela expandunt omnia, vbi silet omnino ventus, contrahunt autem, vbi flat vehementiùs: ita vir prudens obfirmat animum, & grandia meditatur, vbi res suas afflictas, & penè perditas videt, vbi verò recreatas, & erectas, humanæ conditionis, atque inconstantiæ memor, eundem animum demittit, & suo metitur se modulo, quem nouit perexiguum esse.

ODE VIII.

Ad Q. Hirpinum.

QVid bellicoſus Cantaber, & Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Adria
Diuiſus obiecto, remittas
Quærere; nec trepides in vſum
Poſcentis æui pauca. Fugit retro
Leuis iuuentas, & decor, arida
Pellente laſciuos amores
Canitie, facilemque ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque vno luna rubens nitet
Vultu. Quid æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?
Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu, iacentes ſic temerè, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo,
Potamus vncti? Diſſipat Euhyus
Curas edaces. Quis puer ocyùs
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula, prætereunte lympha?

Remittas quærere; ne ſis admodùm ſolicitus: quid Cantaber, & Scytes cogitet; de belli conſiliis, quæ feruntur à Cantabris, Scytiſque ſuſcepta. Adria

diuisus obiecto; nos enim à Cantabris Mediterraneum totum, à Scythis Adriaticum sciungit: non sunt igitur præsentia, nec vicina, sed futura duntaxat, & procul remota pericula. In Cantabres nihil quidem obiecit Horatius, quia satis constabat quantum diffiti essent, sed id Quintio relinquit expendendum. Porrò de illis nihil addendum ad ea, quæ alibi obiter allata sunt. De Scythis moneo, amplissimam fuisse ipsorum regionem, quæ aliqua sui parte ad Orientem vergeret, ita tamen vt maior alia pars consisteret in plaga Septentrionali, cuius incolæ nonnulli etiam nunc, vti olim, Nomades, & ἁμαξόβιοι; nonnulli, inquam; neque enim assentior Bondio affirmanti de omnibus, refragantur quippe peritiores Chorographi.

Nec trepides in vsum poscentis æui pauca; neque anxiè multa compares, ad vitam hanc transigendam: nam paucis est contenta. Trepidare, anxij est hominis, & curarum, ac formidinis, pleni: nempe vt priùs nimium metum amoliri Poeta conatus est, ita etiam cupiditatem nimiam amoliri conatur in præsens; impediunt scilicet felicitatem, quam spectabat, æquè cupiditas nimia, & nimius metus.

Iuuentas, juuenta, aut juuentus, leuis, tersa, polita, nitida, non imberbis, quod ait Lambinus, barba enim juuentuti conuenit: sed quia plena succo est, non arida, & sicca, vti senectus, idcircò rugas nescit, quæ omnem obliterant faciei venustatem. Senectutis locum occupat hîc haud abs re canities; vix enim absque ea est senectus, & absque molestis vigiliis, quarum iacturam videtur sarcire posse vna mors, vnde factus prouerbio Gallico locus: *Ieune homme qui veille, & viel qui dort, signe de mort.*

Non semper idem floribus est honos vernis, breui florum pulchritudo euanescit. Vernos autem præ

aliis Poeta nominat; quia & eorum maior copia, & venustas à nouitate iucundior. Neque vno luna rubens nitet vultu; mutat faciem subinde luna, neque perpetuò constat. Cur autem rubens, inquies? Candor enim lunæ proprius, non rubor. At propter candorem ipsum rubens: nam rubere dicuntur, quæ lucem eximiam vibrant, vt ab Ouidio Aurora, quæ nihil aliud est, quàm Solis primùm exorientis fulgor. Eodem sensu purpureus cycnus dicitur, quia impensè candidus.

Quid æternis minorem consiliis animum fatigas? Quid cogitas sempiterna mortalis? Ita infelix Horatius, cui nota non erat futura hominum beatitas, ad quam qui aspirant, sempiterna cogitant perlibenter; aspirant autem, quotquot sapiunt mortales, sic enim sempiternam effugiunt mortem.

Cani capilli odoratique, ex rosis, quas vulgo Damascenas appellant: siquidem eæ, & colorem cum habent, & odorem prætereà suauissimum. De nardo, siue oleo nardino idem dixerim, quod priùs de Malobathro; nam Malobathrum, oleum, vel si mauis, vnguentum est, quod Syrium vocauit Horatius, ob easdem rationes, quibus & nardinum iam vocat Assyrium.

ODE IX.

In arborem, cuius casu, in agro Sabino, penè oppressus est.

ILle & nefasto te posuit die,
Quicunque primùm & sacrilega manu
Produxit

Produxit arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse ceruicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena colchica,
Et quicquid vsquam concipitur nefas,
Tractauit; agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In Domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas: nauita Bosphorum
Pœnus perhorrescit; neque vltrà
Cœca timet aliunde fata.
Miles sagittas, & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, & Italum
Robur: sed improuisa lethi
Vis rapuit, rapietque gentes.
Quàm penè furuæ regna Proserpinæ,
Et iudicantem vidimus Æacum
Sedesque descriptas piorum, &
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te sonantem pleniùs aureo
Alcæe plectro, dura nauis,
Dura fugæ mala, dura belli.
Vtrumque sacro digna silentio
Mirantur vmbræ dicere, sed magis
Pugnas, & exactos tyrannos,

Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, vbi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens,
Dulci laborum decipitur sono;
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

Nefastus dies, infelix, malè ominatus. Ita censebant Romani veteres, ita etiam nunc Sinæ, qui à suis Mathematicis accipiunt Calendaria, in quibus notati diligenter huiusmodi dies, ad negotia suscipienda inepti: sed ineptire dedocentur à viris Apostolicis.

Produxit, protulit, vel effecit industria sua, vt ad eam altitudinem excresceres. In nepotum perniciem, opprobriumque pagi: quandoquidem futura eras perniciosa nepotibus eius, & Paganis reliquis admodùm ignominiosa.

Frangere ceruicem, interficere. Penetralia spargere nocturno cruore hospitis; aduenam noctu in lecto quiescentem iugulare. Tractare colchica venena; medicatis herbis homines de medio tollere. Sunt autem, in Colchide, Asiæ regione, iuxta Pontum, exitiales herbæ oppidò plures, quarum olim famam longè latéque per filia orbem sparsit Medea, Æetæ, Colchorum Regis, & venefica insignis, ad quam facilè Poeta respexerit,

Lignum triste; non tam infaustum, quàm maleficum: quale illud: *triste lupus stabulis*. Et certè quem nos Galli dicimus: *Vn meschant homme*, A quo

vti noxio, cauere sibi quisque debeat. Itali dicunt hodie: *tristo*. Caducum, propriè, quod ad casum procliue est, hoc loco tamen idem esse videtur ac reipsa cadens, & quidem in caput Horatij, qui se Dominum nominat, sed immerentem: quia possessor erat agri, vbi arbor ea creuerat, neque læserat arborem, à qua durè adeò est acceptus. Eiusdem igitur sententiæ Poeta, cuius Iobi Prophetæ Amici, à quibus accusatus acerbe sanctissimus vir, innocentiam suam prædicans, existimantibus neminem aduersis premi vnquam casibus, nisi nefarium, scelestum, ac nocentem.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis cautum est in horas: nullus est adeò prudens, vt dispicere singulis horis possit, quæ sibi fugienda incommoda sint, semper enim aliqua omnes occupant imparatos, quod quotidiana docemur experientia.

Bosphorus, non pro quolibet mari, sed pro eo duntaxat, quod propriè Bosphorus, & quidem, ni fallor, Cimmerius; vltrà enim vix tuta nauigatio est, ætate Horatij, explorata: quid igitur mirum, si Carthaginenses, rei nauticæ peritissimi licet, ab hoc tractu abhorrerent? Nec mirum etiam, si Romani milites à Parthici exercitus fuga; Parthus enim fugiens hostem insequentem sagittis configebat: idem verò Italorum statariam pugnam mirum quantum formidare credebatur; quòd inde manifestum impenderet seruitutis acerbæ periculum.

Regna Proserpinæ, Tartarus, siquidem ea Plutonis vxor fingebatur à Poetis: Æacus autem, Iouis filius, cum Rhadamanto, & Minoe, Tartari iudiciis præfectus ab obitu fuerat, ob egregium iustitiæ studium, quo flagrauerat viuus: nam tametsi fidei nostræ ignorabant mysteria veteres, non semper tamen aberrabant à scopo, sed identidem videbant, vtcunque

ſaltem, vera ; etenim pœnas, & præmia manere vita functos arbitrati, iudices, qui ex æquo decernerent, ſtatuebant.

Sappho, vnde Sapphicum carmen, puella fuit è Leſbo inſula, quæ amoris impatientia ſibi mortem conciuit ; amabat autem formoſiſſimum hominum Phaonem, de quo hæc narrat Palæphatus : *Phaonis vita omnis circa nauigia, inque re maritima erat, portitor namque in mari fuit, quo in officio nullum vnquam delictum in quempiam perpetrauit : modeſtuſque adeò erat, vt à nemine portorium reciperet, qui ſoluendo non eſſet : morum autem iſtius admiratio quædam apud Lesbios erat, ſimulque hunc Deus laudauit, Deum autem Venerem vocant, quæ cùm ſeneſcentis hominis, hoc eſt, mulieris formam, atque habitum induiſſet, ad Phaonem acceſſit, deque nauigatione verba cum ipſo facit, ac vt eam naui ſua traijciat petit : ille verò in deſeruiendo ei, celeritate vſus, quamprimùm illam traijcit, præmiumque nullum ab ea petit. Quid igitur poſt hæc tali pro munere egit Venus ? Phaonem certè ex ſene formoſum iuuenem illam feciſſe dicunt.* Explicatur à Cibenio beneficij modus, oblatum ſcilicet Phaoni alabaſtrum vnguenti, quo ſemel delibutus mirabilem hanc adeptus pulchritudinem ſit, quam tamen poetriæ inſanienti noluit vnquam permittere.

At quæret quis fortaſſis hîc duo ; primum, quid Æoliæ fides ? Alterum, cur de puellis queratur popularibus Sappho ? Reſpondeo ad primum, fides Æolias, ab Æolide, ſeu Æolia, dictas, quæ Regio Aſiæ eſt, priùs Myſia nomine, vt quibuſdam ſcriptoribus placet, & ad hanc ſpectat Leſbos inſula : viguit porrò vtrobique dialectus Græcorum Æolica, qua vſa eſt Sappho. Reſpondeo ad ſecundum, à reliquis virginibus Leſbiis adamatum quoque Phaonem ve-

hementer, ab eo propterea se contemptam arbitrata est Sappho, hinc Zelotypia, & questus.

Alcæum, Lesbium, Alcaici autorem carminis, aureo donatum plectro volunt, ob acumen ingenij, & Poeticæ facultatis elegantiam; quo factum, vt apud Inferos etiam, si Superis placet, recitata sint, cum singulari audientium voluptate, illius opera, in quibus describuntur nauales, terrestresque pugnæ, tum exilia, & cædes; iis autem capiuntur magis animæ, quàm rebus amatoriis: cùm enim corporibus exutæ sint suis, videntur ad amorem minùs aptæ.

Sonare, est citharam pulsare, & pulsando exprimere res heroïcas: nam sono, sonas, actiuè hoc loco sumitur. Pleniùs, idem ac vehementiùs, & copiosiùs. Sacrum silentium, quando loqui, aut obstrepere est nefas. Vmbræ, mortuorum animæ. Vulgus densum humeris, conferta populi turba; quæ aure bibit, quando attentè, & cupidè audit, à sitientibus acceptâ metaphorâ.

Bellua centiceps, Cerberus, quem ex Typhone & Echidna genitum fabulantur, canemque tricipitem faciunt, humanis carnibus vesci solitum. Hesiodus non tria tantùm, sed quinquaginta ei capita tribuit, Horatius in præsentia centum; quidni autem, cùm is monstrum, & quidem fabulosum sit? Nec necesse est ad angues confugere, quibus cingitur eius caput: nam vt aliis tria capita, sic nostro huic Poetæ centum licuit comminisci: & certè qui vulgatas Antiquorum inspexerit fabulas, perpetuam in iis varietatem deprehendet: vna quippe veritas constans, varietatisque nescia est.

Eumenides, Acherontis, & noctis, vel vt Sophocles ait, telluris, & caliginis, seu tenebrarum, filiæ; criminum vltrices: apud Inferos canes, apud nos Suriæ, diræ apud Superos appellantur: harum nomina

ſunt Alecto, Megæra, Tiſiphone. Græci vocarunt Eumenides, vt iis blandirentur, ſibique facerent εὐμενεῖς, amicas, ac propitias: alij per antiphraſin Eumenides dictas volunt, quaſi parum εὐμενεῖς; vt bellum, quia minimè bellum: Phornutus tamen Eumenides ideò nuncupatas eſſe ſcribit, quòd plectēdo ſcelera, crudelitatem in primis, doceant morum ſuauitatem, & clementiam. Græci eas nominarunt etiam haud ſemel Erinnyes, à lite, contentioneque fortaſſis, quæ iiſdem eſt ἔρις. Pro capillis ſerpentes implexos habent, vt ſignificent, impunita non fore flagitia, & in Tartaro habitant, vt feras, & latentes nunc, infligendas flagitioſis hominibus pœnas.

Prometheus, de quò actum alibi, non alligatur Caucaſo à Poeta, ſed in Tartaro includitur, cum Pelopis Patre, Tantalo; vterque autem laborum decipitur, ſiue obliuiſcitur, quod idem eſt ac fallunt ſupplicia, quando vtrumque prætereunt, neque cruciant de more: id autem contingit, dulci ſono, id eſt, ob dulcem ſonum, ſeu concentum, quem edunt Alcæus, & Sappho. Et quia tenentur homines iiſdem planè ſtudiis mortui, quibus viui tenebantur, Orion, venationi quondam deditus, nunc inquit Horatius, feras negligit, lyrica carmina per otium auditurus: ex quo coniectura lectori capienda de reliquis.

ODE X.

Ad Posthumum.

EHeu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.
Non si tricenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Gerionem, Tityonque tristi
Compescit vnda, scilicet omnibus,
Quicunque terræ munere vescimur,
Enauiganda, siue Reges,
siue inopes eximus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus;
Fractisque rauci fluctibus Adriæ;
Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor; neque harum, quas colis, arborum,
Te, præter inuisas cupressos,
Vlla breuem Dominum sequetur.

Absumet hæres Cœcuba dignior,
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbum,
Pontificum potiore cœnis.

Fugaces anni reuera sunt, qui, à pueritia, motu perpetuo, deducunt ad senectutem homines, neque affert ætati vlli moram pietas, affert nihilominùs identidem morti, quam maturat non rarò impietas primæ notæ, aliqua, vel improbitas alia singularis. Quot enim plectuntur supplicio extremo iuuenes, qui si saperent, producerent vitam? Quot nimiâ crapulâ intereunt artifices? Quot viri locupletes, otio, ac desidia? Ne fœdas voluptates commemorem, quarum vsus, quia noxius semper, hinc non sæpe diuturnus.

Illacrymabilis Pluto, qui moueri ad lacrymas nequeat, Gallicè: *impitoyable.* Nam solent lacrymæ pietatis, ac misericordiæ indicium esse. Placare verò Plutonem, est mortem effugere: tricenis tauris, sacrificiis oblatis. Trecenos aliqui legunt, quasi trecentenos, inquiunt, vt triplex indicetur hecatombe. Sed trecenos non memini me legere alibi, neque hîc trecenos legunt Critici omnes: adhæc, licuit Poetæ trecentos dicere, si triplicem hecatomben cogitauit, at Romano ciui, opulentissimo licet, hecatomben triplicem in singulos dies indicere, delirare proculdubio est. Scio Poetam hyperbolice loqui; verùm hyperbole non debet superare hyperbolem.

Geryon ter amplus, quia tricorpor, vel saltem triceps: huius nomenclationis hanc assignat rationem Palephatus: *Ciuitas in Euxino Ponto est, Tricarinia, hoc est, tricipitia nuncupata: erat autem tempestate illa Geryon inter alios homines famigeratus,*

vt qui diuitiis, multisque aliis rebus maximè excellebat, boum inter cætera armentum perquam admirabile habebat, ad quod cùm Hercules, vt boues abigeret, accessisset, sese illi opponentem Geryonem de Medio sustulit, sicque boues abduxit. Percunctantibus itaque hominibus cuiusnam boues illæ essent, eas Herculem Geryonis tricarinij, hoc est, tricipitis, existentes abegisse nonnulli asseuerabant: ex quibus dictis Geryonem ipsum tria capita dubio procul habuisse quidam existimarunt. Sed Palephato non assentiuntur alij, qui Geryonem Hispaniæ Regem putant: quantum enim, quæso te, ab Euxino Ponto remota Hispania? Geryonem Hyginus, Fabul. 151. ex Chrysaore natum scribit: Chrysaorem, ex Neptuno, & Medusa, Gorgonis filia.

Tityus, Iouis filius ex Elara, Orchomeni filia, quam prægnantem Iupiter, vxoris iram timens, terra occultauit, ex quo contigit; vt puer è terra natus diceretur. Hic vbi adoleuit, cùm Latonam Apollinis matrem, de stupro interpellasset, sagittis confossus ab eo est, & in Tartarum detrusus, vulturibus iecur miseri, renascens perpetuò, perpetuò depascentibus. Paulo aliter Hyginus, ait enim Tityum à Ioue ictum fulmine, deturbatum ad Inferos, & serpenti iecur eius traditum.

Vnda stygiæ paludis enauiganda mortalibus omnibus, ita enim interpretatur Bondius: ego verò non stygis, verùm Acherontis mentionem hoc loco factam arbitror; nam animæ, ex fabulis, adducuntur ad fluuium, quem trajicere habent in cymba: is autem fluuius, Græcis, ἀχέρων, quasi ἄχη ῥοῶν; ἄχος, cuius pluralis contractus, ἄχη, tristitia, dolor, & ῥέω, fluo: cuius contractum participium extra compositionem haudquaquam vsitatum. Vnda

igitur hæc, Acherontis aqua fuerit, quæ ideò dicta est ab Horatio tristis, vt ad Græcam significationem Acherontis alluderet. Acheronti Cocytum adiungit, fluuium Inferorum alterum, quem quidem visendum monet, non enauigandum, seu trajiciendum tamen; quia continebantur huiusmodi fluminibus, quasi quibusdam terminis, quos prætcrire non liceret, mortui vniuersi, vnde posteà exibant ad Campos Elysios, aliasque Beatorum sedes ij, qui vitiis inquinati non essent: erat quippe, apud ipsos etiam mendaciorum Architectos, suus pœnæ, & præmio, locus. De Acheronte v. Od. 3. lib. 1.

Danai genus infame, Danai filiæ, quæ Danaides, & Belides appellantur: quinquaginta fuere numero, quæ quòd patre suadente, viros suos, Ægypti, Danai fratris, filios, ipsa nuptiarum nocte, occidissent, coguntur aquam effluentem semper, semper etiã haurire. Vna Lynceo pepercit Hypermestra, hoc propterea supplicio immunis. Iam quia Belus Danai Pater, inde Belidum nomen.

Sisyphus, Æoli filius, ex quo Patronymicum Æolides, latro insignis, interfectus tandem à Theseo, quia multos necarat crudeliter, saxum voluere perpetuò cogitur, apud Inferos, neque enim ipsum potest vnquam ad montis cacumen propellere, quò tamen propellendum est. Alij aliam afferunt inflicti supplicij causam, & hanc indicat Hyginus.

Breuis Dominus, qui non diu futurus Dominus. Cupressus, feralis arbor, dicitur sequi Dominum, quia & viuo, & mortuo, vtcunque vsui; siquidem excisa semel, renascitur nunquam, homini vita functo similis, cui à viuis adhibetur.

Cæcubum, felicis Campaniæ oppidum, in cuius agro vinum optimum; eo vtetur liberaliter auari Posthumi hæres, quem ideò digniorem huiusmodi

vino Poeta pronunciat. Superbum pauimentum elegans, & marmore, aut pretiosiori etiam lapide, stratum: in illud effundet cæcubum hæres Posthumi, vt significet conuiuis, quàm prolixo aduersus eos animo sit, & vt eos ad largiùs potandum inuitet.

ODE XI.

In sui sæculi luxum.

IAm pauca aratro iugera regiæ
Moles relinquent; vndique latiùs
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu; platanusque cælebs
Euincet vlmos: tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium,
Spargent oliuetis odorem
Fertilibus domino priori.
Tum spissa ramis laurea feruidos
Excludet ictus: Non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.
Priuatus illis census erat breuis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes, & Deorum
Templa nouo decorare saxo.

Iam paucæ aratro iugera regiæ moles relinquent; eò deuenit Romanorũ ciuium luxus, vt agros fermè omnes occupent sumptuosa ædificia, nec sit reliquus vllus serendis frugibus locus. Iugerum, terræ spatium, quod par boum arare vno die potest. Moles regia, priuatum ædificium, regio Palatio amplitudine non impar: Regij porrò Palatij amplitudo sit summa necesse est, quod capit facilè quiuis,

Vndique latiùs extenta visentur Lucrino stagna lacu; quamuis Lucrinus lacus videri amplissimus possit, immisso in eum Augusti sumptibus mari, ampliora tamen erunt, in multorum prædiis stagna: ea ego viuaria interpretor, in quibus murænæ, & pisces alij, ad delicias alerentur.

Platanus cælebs euincet vlmos, pluris fiet platanus, ad vmbram duntaxat præstandam commoda; quàm vlmus, ad vitem fulciendam vtilis. Platanus cælebs, metaphora est: homo cælebs, liberos non gignit, saltem legitimos: idem igitur homo cælebs, ac sterilis; qui loquendi modus, ab homine, ad platanum arborem, hoc loco, transfertur.

Tum violaria, & myrtus, & omnis copia narium, spargent oliuetis odorem fertilibus Domino priori; vbi oleæ priùs, dominis fructuosæ, nunc violæ, lilia, rosæ, alijque flores, aut frutices, cuiusmodi myrtus est, odore vno commendabiles: qui propterea dicuntur narium opes, id enim sonat copia.

Tum spissa ramis laurea feruidos excludet ictus, ad arcendum ardorem Solis, præter morem, laurus adhibebitur: præter morem, inquam; laurus enim objici Soli potest, & lucem nimiam illam defendere; frigus tamen, quod quæritur æstate maximè, afferre minimè potest, quippe arbor naturæ præferuidæ, & halitus igneos quaquauersum emittentis. Radij Solis, metaphoricè ictus; quidni? vibrantur scilicet,

& pungunt calore suo acri, eo ferè modo, quo pungeret acus.

Non ita Romuli præscriptum, & intonsi Catonis auspiciis, veterumque norma; non id sanxit Romulus, non cæteri maiores nostri, nominatim Cato, censor morum grauissimus, auitæque simplicitatis retinentissimus. Intonsus autem, quòd hispida barba illa damnaret comptam, & calamistratam posterioris ætatis mollitiem.

Priuatus illis census erat breuis, commune magnum; fortuna ciuium singulorum tenuis, reip. opes immensæ. Census breuis, reditus, vel minimo sumptu exhausti; nam quod breue, non durat. Commune, publicum ærarium.

Nulla decempedis metata priuatis opacam porticus excipiebat Arcton, nulla iis erat ambulatio Septentrioni exposita, vbi, æstiuo tempore, captari posset frigus. Decempeda, pertica, decem pedes longa, qua longitudinem agrorum explorabant. Arctos, vrsa Septentrio: excipitur autem Septentrio, quando porticus aliqua eidem obuertitur. Metari actiuè quidem sumitur; metata tamen hoc loco passiuam significationem habet: itaque porticus decempedis metata, erit porticus longissima, quam habeant metiri artifices, eo planè pacto, quo solent agros metiri, adhibita scilicet pertica, decem pedes longa, quam credibile admodùm est, nunquam ad ædificia fuisse ab iis adhibitam.

Nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant, non licebat per leges agriculturam deserere: hanc verò exercebant adeò diligenter, vt ne cespitem quidem vnum incultum relinquerent. Oppida publico sumptu iubentes, & Deorum templa nouo decorare saxo, reficiebant etiam maiores nostri, ex ærario, vrbium mœnia, & vetustate collapsas Deorũ immortaliũ ædes; id enim legib. quoq; in primis cauebatur.

ODE XII.

Ad Grosphum.

OTium Diuos rogat, in patenti
Prensus Ægeo; simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium, bello furiosa Thrace,
Otium, Medi pharetra decori;
Grosphe, non gemmis, neque purpura, venale, neque auro.
Non enim gazæ, neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas, laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Quid breui fortes iaculamur æuo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriæ quis exul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naues
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor euro.

Lætus in præsens animus, quod vltra est,
Oderit curare; & amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parua rura, &
Spiritum graiæ tenuem camœnæ,
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

Otium diuos rogat, in patenti prensus Ægeo; tempestate iactatus in mari, tranquillitatem optat, & aspirat ad portum: simul atra nubes condidit Lunam, neque certa fulgent sidera nautis; quando nulla serenitatis apparent in cœlo signa. Prensus, deprehensus, pro composito simplex, vt sæpe alibi. Ægeum, pro quolibet mari: & quia hæc Mediterranei pars scatet insulis, quæ caprarum speciem referunt, hinc appellatio Ægei; nam αἴξ, αἰγὸς, Græcè, est capra Latinè. Nubes atra, quæ videlicet prospectum cœli totum tegit, mali planè nauigantibus ominis: immò interdum vel nubecula minima, quæ alterum crescentis primùm Lunæ obsederit cornu, dira omnia portendit, vt nihil dicam de paulo maiori altera, ex qua oriri videtur ecnephias.

Otium, bello furiosa Thrace, otium Medi, pharetra decori; pacem amant populi, quantumvis bellicosi, quales Medi, ac Thraces: non gemmis, neque purpura venale, neque auro; pax enim, ac tranquillitas, quietem afferunt, rerum omnium præstantissimam. Thrace, siue Thracia, metonymicè, pro Thracibus, laborum patientissimis, & ad arma tractanda egregiè comparat's.

Non enim gazæ, neque consularis summouet lictor miseros tumultus mentis, & curas laqueata circum tecta volantes; neque enim ægritudinibus, ac molestiis animum liberant, aut superba ædificia, aut amplissimæ dignitates, aut congesti summo studio thesauri. Quid gaza, dixi aliàs. Consularis lictor, minister, qui fasces præferebat, & iubebat secedere turbam à consule, aliove Romano magistratu primario. Tumultus mentis, perturbationes animi. Curæ volantes, cogitationum æstus varij. Tecta laqueata, domus optimatum magnificæ, quarum laquearia auro distincta, & gemmis.

Viuitur paruo bene, tametsi quis diues non est, non putandus propterea miser, dum habeat, quo vitam vtcunque toleret: cui paternum splendet in mensa tenui salinum; nec desit saltem, ac cibos tenuiter condiendos, salis modicum: nec leues somnos timor, aut cupido sordidus aufert, vel adsit, quæ somnum interturbet, immoderata rei alicuius acquirendæ cupiditas, aut amittendæ metus.

Quid breui fortes iaculamur æuo multa? Cur tantulo vitæ spatio, tot, ac tanta inhiamus? Iaculari, telis petere; metaphora est, quæ significat nos in vnũ habendi collineare scopum. Quid terras alio calentes Sole mutamus? Cur ad exteras proficiscimur nationes? Sol quidem nusquam alius, quia vnus, & idem, luce sua terram totam collustrat; alius tamen

videtur iis in regionibus, vbi vel calor alius, vel frigus aliud sentitur. Patriæ quis exul, se quoque fugit? Quis à patria profugus, profugere à se potuit? Nimirum ab aliis aliquando, à nobis nunquam discedimus.

Scandit æratas vitiosa naues cura, nec turmas equitum relinquit; mari, terraque militantibus, comitantur sua vitia: Ocyor ceruis, & agente nimbos ocyor euro; quippe ceruis, adeòque ventis ipsis, celeritate longè superiora: quibus propterea facillimum sit, currentem quemvis assequi. Æratæ naues, ob rostra ære quondam munita. Eurus, agens nimbos, ventus, cogens nubes, & pluuias concitans.

Lætus in præsens animus, quod vltrà est, oderit curare; qui præsentibus iucundè fruitur, ne timeat futura solicitus: & amara lento temperet risu; qui ærumnis conflictatur, æquo eas animo ferat. Vltra est, quod futurum, siquidem in manu nostra non est, immò nec in nostra notitia: nostrum igitur id tantùm, quod est præsens. Amara, tristia, molesta, difficilia, quæ amara dicuntur, à cibis traducta metaphora; vt enim cibos dulces admittimus, rejicimusque amaros, ita & ærumnas, afflictamque fortunam auersamur, felicitatem amplectimur. Lentus risus, quasi ab inuitis extortus: etsi ergo difficile est, ridere in malis hominem, ridere tamen Poeta ipsum iubet, siue, vt ego interpretor, æquo animo ferre, quod humanæ conditionis est: siquidem, vt is aptè subjicit: nihil est ab omni parte beatum: nullus igitur omni malo immunis: qui enim ab omni parte beatus non est, aliqua ex parte sit miser necesse est, qui miser, & malo alicui obnoxius.

Abstulit clarum cita mors Achillem, probat exemplo duplici, eoque illustri, sententiam hanc suam Horatius; nam Achilles morte immatura obiit:

longa Tithonum minuit senectus; Tithonus verò ad eam peruenit ætatem, quam homo vix optare debeat; cum vix quidquam tunc habeat hominis. Quippe Achilles, ætate florens, conspicuus forma, & factis, famaque clarissimus, à Paride inermis occisus est; & qui viuere diu Tithonus exoptarat, pertæsus vitæ tandem, in cicadam conuersus.

Te greges centum, siculæque circum mugiunt vaccæ; tibi sunt ouium, & caprarum greges, armenta boum: tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa, equorum item insignium: te bis afro murice tinctæ vestiunt lanæ, nec desunt è dibapho vestes. Mugire, boum proprium; vt equorum, hinnire. Vaccas autem siculas, & equas quadrigis aptas, Poeta nominat; quia in vtroque animalium genere, vtiliores maribus fœminæ, citra vllam controuersiam: Grosphi ergo diuitias, quas veteres in pecoribus maximè arbitrabantur esse positas, tenuitati suæ opponit Horatius. Et vaccæ quidem siculæ, ob cœli, solique clementiam, pingues admodùm, & fœcundæ; aptæ autem quadrigis equæ, tum forma, tum robore præstantes. Murex, concha marina, è cuius cruore purpura, quæ longè pluris fiebat, si bis eo infecta foret; Græcè dibapha, seu bis tincta: δὶς enim, Latinè bis, & βάπτω, tingo, coloro, inficio.

Spiritus graiæ camœnæ, est facultas græcanicæ poeseos: etsi enim non scripsit Græcè Horatius, carmina tamen ista sua tot aspersit hellenismis, vt exoticam linguam potiùs, quàm maternam spectasse videatur: id contingere ideò potuit, & quòd vixerit in Græcia diu, & quòd natus in Apulia fuerit: Apulia autem finitima Calabriæ est, quæ olim magna Græcia; in ea degebant Græci multi tunc, in ea nunc degunt etiam multi, qui patrios ritus, in sacris, annuente Papa obseruant.

ODE XIII.

Ad Mæcenatem ægrotum.

CVr me quærelis exanimas tuis ?
Nec diis amicum eſt, nec mihi, te priùs
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
At te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æquè, nec ſuperſtes
Integer ? ille dies vtramque
Ducet ruinam; non ego perfidum
Dixi ſacramentum : ibimus, ibimus,
Vtcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimeræ ſpiritus igneæ,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyas,
Diuellet vnquam : ſic potenti
Iuſtitiæ, placitumque parcis.
Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ; ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus vndæ :
Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum. Te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens

Eripuit, volucrisque fati
Tardauit alas, cùm populus, frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum :
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset, mercurialium
Custos virorum : reddere victimas,
Ædemque votiuam memento ;
Nos humilem feriemus agnam.

Exanimas ; interimis, enecas, occidis : Gallicè *Vous me tuez, vous me faites mourir.* Id est, summo me dolore afficis. Quando ergo quiritatem audiebat amicum Horatius, angebatur plurimùm, veritus, ne vis morbi, vitam auferret, quam tamen dij nolebant ablatam : quod enim ipsis amicum non est, nec profectò etiam gratum.

Quid moror altera ? pars animæ videlicet : vna pars abire non poterat, quin abiret continuò altera; quòd media sui parte viuere anima nequeat: sic amoris magnitudinem exprimit Poeta : tum subiungit, si forte sit superstes, nec se futurum totum, quòd iam media sui parte perierit: neque Cæsari, aliisve, æquè vt priùs, placiturum; cui enim homo mutilus, mediaque parte minor, arrideat ? Quare idem dies vtramque ruinam ducet, quia simul vterque corruet.

Non ego perfidum dixi sacramentum, sacramentum perfidum dicit, qui iureiurando ab exercitus duce adactus, castra eius postmodùm deserit, & ad hostes transfugit ; vnde desertor nominatur, ac transfuga : ex eo metaphoram desumit Horatius.

Chimæra, mons Lyciæ igniuomus, ex quo mon-

ſtrum, finxere Mythologi, cuius halitus obuia quæque amburerеt. Gyas, cœli, ac terræ filius; Cœi, & Briarei, frater: immanis, & formidandus meritò, gigas. Negat autem poeta ſe poſſe vnquam ab amico ſeparari, quicquid tandem terroris ingruat: in primis, quia æquitati conſentaneum eſt, vt colat ſemper Mæcenatem, de ſe optimè meritum; deinde quia id fatale eſt, eſt enim decretum à Parcis, quæ Tartarum incolunt: poſtremò, quia & addicunt aſtra: quare Inferi, Superique conſentiunt.

Quæ de Libra, Scorpio, Capricorno, aliiſque adducit Horatius, ea pertinent ad eam Aſtrologiæ partem, quam Iudiciariam appellant, Romæ damnatam ſæpius, ab Imperatoribus primùm, poſteáque à ſummis Pontificibus, vt quæ turbet remp. & perniciem ſaluti Principum creet. Miſſis igitur artis noxiæ commentis, ad mentem Poetæ capiendam dico breuiter Libram, Scorpium, Capricornum, inerrantes, ſeu fixas Stellas eſſe, in orbe ſignifero, qui Græcè ζωδιακὸς, poſitas, Iouem verò, & Saturnum, errantes, ſeu Planetas: harum ſitum, aſpectumque mutuum attendunt Genethliaci, & ad horam, imò & punctum naſcentis hominis referunt, vt de caſibus futuris pronuncient; quanquam de futuris pronunciare certò, vnius Dei eſt, à cuius nutu pendent noſtra omnia.

Scorpius formidoloſus ideò, quia pars violentior natalis horæ; id eſt, ſi ortus tunc fuerit, cùm in lucem editur puer, vitæ breuitatem, & alia ei portendet infortunia. Capricornus autem qualis homini ſit futurus, oſtendit excitatis in mari tyrrheno, quod heſperium, ſiue occiduum vocatur, tempeſtatibus, quæ vim longè maiorem requirunt, quàm priuati cuiuſpiam hominis mala, hæc enim leuioris operæ ſunt. At naturæ ſolius, marinæ tempeſtates; huma-

Reuexit, auro captus: hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet: hic leuare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus, atque non vocatus, audit.

Non ebur, neque aureum mea renidet in domo lacunar, non mihi sunt lecti eburnei, neque aurata domus laquearia. Nam ebur ad lectos, aut certè ad mensas, retulerim ego potiùs, quàm ad laquearia; & ea, aurata Romæ potiùs, quàm aurea fuisse crediderim.

Trabes hymettiæ, ex hymetto, monte Atticæ, in vrbem illatæ: sunt qui velint fuisse marmoreas, quòd Plinius Hymettias columnas marmoreas appellet alicubi: sed ratio ea imbellis: an enim non possunt, eodem in monte, & ligna, & lapides esse? Arbitror ego notari trabes ligneas, qui enim trabes dicit, ligneas dicere solitus est; fuerint autem istæ, vel ex cupresso, vel ex larice, vel fortassis ex cedro.

Africa vltima, Numidia opinor, vbi marmoris eximij copia. Numidiam porrò vltimam eo sensu vocatam existimem, quo sensu vocata est vltima Thule, & extremi hominum Morini: nam ibi, vltimi, & extremi vox pro valdè remoto tantùm, ni fallor, vsurpata; quis enim mentis compos, & ingenio aliquo præditus, in orbe, cuiusmodi Mundus iste est, vltimum propriè dictum reperiri posse putet?

Attalus, Pergami Rex, liberis carens, hæredem Romanum populum scripsit; ac tametsi eius opibus locupletati sunt multi, Horatius tamē inde sensit beneficij nihil: siue quòd ciuis Romanus non esset, siue quòd ea præda optimates duntaxat respiceret; neque enim ad plebeios deuenire solent bona publica.

Clientæ,

Clientæ, obſoleta vox, à veteribus quibuſdam vſurpata. Clientas appellat Poeta fœminas, quæ Varum Patronum agnoſcerent, & purpuras ei traherent Laconicas, ſeu lanam tarentinam in ſtamina è colu deducerent, vnde confici poſſet purpura. Tarentinam pro Laconia dixi; quia Tarentum vrbs Calabriæ fuit, à Laconibus extructa, & lanæ, & purpuræ præſtantiâ, celebris: Ita enim Virgilius Euboicas Cumarum oras dixit; quia Cumæ à Chalcidenſibus ex Eubœa profectis olim conditæ.

Sabini, Latinis, Italiæ populis, vicini, apud quos habebat prædium Horatius, quod nomine Sabinorum deſignat, eoque ſe contentum profitetur: quòd ab vrbe non diſtaret, & ad vitam vtcunque tolerandam ſatis eſſet. Cùm autem ait: truditur dies die, nouæque pergunt interire Lunæ: ſignificat, ſibi mutuò dies, menſeſque ſuccedere; Gallus diceret: *Vn jour pouſſe l'autre iour, vn mois ſuit l'autre mois.* Vel breuiùs: *Le temps s'écoule inſenſiblement, ou le temps paſſe.*

Tu ſecanda marmora locas ſub ipſum funus; inſtat vltima vitæ hora, tu tamen de cædendis lapidibus cogitas: & immemor ſepulchri domos ſtruis imò ædificas ſuperba Palatia, quaſi nunquam moriturus: vrges ſummouere maris littora, moles excitas, quibus mare propellas longiùs, & quidem ſummo conatu: obſtrepentis Baiis, quia reſiſtit conatu ſummo etiam, & vim fieri ſibi, murmure ad Baias excitato, continenter, oſtendit. Baiæ, à Baio, Vlyſſis filio, dictæ, inter Puteolos, & Miſenum, felicis Campaniæ montem, ſitæ, agrum habebant amœniſſimum, in quo plurima Romanorum procerum ædificia, quibus vnum aliquod ampliſſimum ſenex Varus adiungebat: parum locuples continente ripa, ſed quòd in ſolo non ſatis ad id ſuppeteret ſpatij, vim ſalo inferebat.

Otium, bello furiosa Thrace, otium Medi, pharetra decori; pacem amant populi, quantumvis bellicosi, quales Medi, ac Thraces: non gemmis, neque purpura venale, neque auro; pax enim, ac tranquillitas, quietem afferunt, rerum omnium præstantissimam. Thrace, siue Thracia, metonymicè, pro Thracibus, laborum patientissimis, & ad arma tractanda egregiè comparatis.

Non enim gazæ, neque consularis summouet lictor miseros tumultus mentis, & curas laqueata circum tecta volantes; neque enim ægritudinibus, ac molestiis animum liberant, aut superba ædificia, aut amplissimæ dignitates, aut congesti summo studio thesauri. Quid gaza, dixi aliàs. Consularis lictor, minister, qui fasces præferebat, & iubebat secedere turbam à consule, aliove Romano magistratu primario. Tumultus mentis, perturbationes animi. Curæ volantes, cogitationum æstus varij. Tecta laqueata, domus optimatum magnificæ, quarum laquearia auro distincta, & gemmis.

Viuitur paruo bene, tametsi quis diues non est, non putandus proptereà miser, dum habeat, quo vitam vtcunque toleret: cui paternum splendet in mensa tenui salinum; nec desit saltem, ac cibos tenuiter condiendos, salis modicum: nec leues somnos timor, aut cupido sordidus aufert, vel adsit, quæ somnum interturbet, immoderata rei alicuius acquirendæ cupiditas, aut amittendæ metus.

Quid breui fortes iaculamur æuo multa? Cur tantulo vitæ spatio, tot, ac tanta inhiamus? Iaculari, telis petere; metaphora est, quæ significat nos in vnũ habendi collineare scopum. Quid terras alio calentes Sole mutamus? Cur ad exteras proficiscimur nationes? Sol quidem nusquam alius, quia vnus, & idem, luce sua terram totam collustrat; alius tamen

videtur iis in regionibus, vbi vel calor alius, vel frigus aliud sentitur. Patriæ quis exul?, se quoque fugit? Quis à patria profugus, profugere à se potuit? Nimirum ab aliis aliquando, à nobis nunquam discedimus.

Scandit æratas vitiosa naues cura, nec turmas equitum relinquit; mari, terraque militantibus, comitantur sua vitia: Ocyor ceruis, & agente nimbos ocyor euro; quippe ceruis, adeôque ventis ipsis, celeritate longè superiora: quibus propterea facillimum sit, currentem quemvis assequi. Æratæ naues, ob rostra ære quondam munita. Eurus, agens nimbos, ventus, cogens nubes, & pluuias concitans.

Lætus in præsens animus, quod vltrà est, oderit curare; qui præsentibus iucundè fruitur, ne timeat futura solicitus: & amara lento temperet risu; qui ærumnis conflictatur, æquo eas animo ferat. Vltra est, quod futurum, siquidem in manu nostra non est, immò nec in nostra notitia: nostrum igitur id tantùm, quod est præsens. Amara, tristia, molesta, difficilia, quæ amara dicuntur, à cibis traducta metaphora; vt enim cibos dulces admittimus, rejicimusque amaros, ita & ærumnas, afflictamque fortunam auersamur, felicitatem amplectimur. Lentus risus, quasi ab inuitis extortus: etsi ergo difficile est, ridere in malis hominem, ridere tamen Poeta ipsum iubet, siue, vt ego interpretor, æquo animo ferre, quod humanæ conditionis est: siquidem, vt is apte subjicit: nihil est ab omni parte beatum: nullus igitur omni malo immunis: qui enim ab omni parte beatus non est, aliqua ex parte sit miser necesse est, qui miser, & malo alicui obnoxius.

Abstulit clarum cita mors Achillem, probat exemplo duplici, eoque illustri, sententiam hanc suam Horatius; nam Achilles morte immatura obiit:

longa Tithonum minuit senectus; Tithonus verò ad eam peruenit ætatem, quam homo vix optare debeat; cum vix quidquam tunc habeat hominis. Quippe Achilles, ætate florens, conspicuus forma, & factis, famaque clarissimus, à Paride inermis occisus est; & qui viuere diu Tithonus exoptarat, pertæsus vitæ tandem, in cicadam conuersus.

Te greges centum, siculæque circum mugiunt vaccæ; tibi sunt ouium, & caprarum greges, armenta boum: tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa, equorum item insignium: te bis afro murice tinctæ vestiunt lanæ, nec desunt è dibapho vestes. Mugire, boum proprium; vt equorum, hinnire. Vaccas autem siculas, & equas quadrigis aptas, Poeta nominat; quia in vtroque animalium genere, vtiliores maribus fœminæ, citra vllam controuersiam: Grosphi ergo diuitias, quas veteres in pecoribus maximè arbitrabantur esse positas, tenuitati suæ opponit Horatius. Et vaccæ quidem siculæ, ob cœli, solique clementiam, pingues admodùm, & fœcundæ; aptæ autem quadrigis equæ, tum forma, tum robore præstantes. Murex, concha marina, è cuius cruore purpura, quæ longè pluris fiebat, si bis eo infecta foret, Græcè dibapha, seu bis tincta: δὶς enim, Latinè bis, & βάπτω, tingo, coloro, inficio.

Spiritus graiæ camœnæ, est facultas græcanicæ poeseos: etsi enim non scripsit Græcè Horatius, carmina tamen ista sua tot aspersit hellenismis, vt exoticam linguam potiùs, quàm maternam spectasse videatur: id contingere ideò potuit, & quòd vixerit in Græcia diu, & quòd natus in Apulia fuerit: Apulia autem finitima Calabriæ est, quæ olim magna Græcia; in ea degebant Græci multi tunc, in ea nunc degunt etiam multi, qui patrios ritus, in sacris, annuente Papa obseruant.

ODE XIII.

Ad Mæcenatem ægrotum.

CVr me quærelis exanimas tuis ?
Nec diis amicum eſt, nec mihi,te priùs
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
At te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior vis,quid moror altera,
Nec carus æquè, nec ſuperſtes
Integer ? ille dies vtramque
Ducet ruinam ; non ego perfidum
Dixi ſacramentum : ibimus, ibimus,
Vtcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimeræ ſpiritus igneæ,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyas,
Diuellet vnquam : ſic potenti
Iuſtitiæ, placitumque parcis.
Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ ; ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus vndæ :
Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum. Te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens

Eripuit, volucrisque fati
Tardauit alas, cùm populus, frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset, mercurialium
Custos virorum: reddere victimas,
Ædemque votiuam memento;
Nos humilem feriemus agnam.

Exanimas; interimis, enecas, occidis: Gallicè *Vous me tuez, vous me faites mourir*. Id est, summo me dolore afficis. Quando ergo quiritātem audiebat amicum Horatius, angebatur plurimùm, veritus, ne vis morbi, vitam auferret, quam tamen dij nolebant ablatam: quod enim ipsis amicum non est, nec profectò etiam gratum.

Quid moror altera? pars animæ videlicet: vna pars abire non poterat, quin abiret continuò altera; quòd media sui parte viuere anima nequeat: sic amoris magnitudinem exprimit Poeta: tum subiungit, si fortè sit superstes, nec se futurum totum, quòd iam media sui parte perierit: neque Cæsari, aliisve, æquè vt priùs, placiturum; cui enim homo mutilus, mediaque parte minor, arrideat? Quare idem dies vtramque ruinam ducet, quia simul vterque corruet.

Non ego perfidum dixi sacramentum, sacramentum perfidum dicit, qui iureiurando ab exercitus duce adactus, castra eius postmodùm deserit, & ad hostes transfugit; vnde desertor nominatur, ac transfuga: ex eo metaphoram desumit Horatius.

Chimæra, mons Lyciæ igniuomus, ex quo mon-

ſtrum finxere Mythologi,cuius halitus obuia quæque amburereт. Gyas; cœli, ac terræ filius; Cœi, & Briarei, frater: immanis, & formidandus meritò, gigas. Negat autem poeta ſe poſſe vnquam ab amico ſeparari, quicquid tandem terroris ingruat: in primis, quia æquitati conſentaneum eſt, vt colat ſemper Mæcenatem, de ſe optimè meritum; deinde quia id fatale eſt, eſt enim decretum à Parcis, quæ Tartarum incolunt: poſtremò, quia & addicunt aſtra: quare Inferi, Superique conſentiunt.

Quæ de Libra, Scorpio, Capricorno, aliiſque adducit Horatius, ea pertinent ad eam Aſtrologiæ partem, quam Iudiciariam appellant, Romæ damnatam ſæpius, ab Imperatoribus primùm, poſteáque à ſummis Pontificibus, vt quæ turbet remp. & perniciem ſaluti Principum creet. Miſſis igitur artis noxiæ commentis, ad mentem Poetæ capiendam dico breuiter Libram, Scorpium, Capricornum, inerrantes, ſeu fixas Stellas eſſe, in orbe ſignifero, qui Græcè ζωδιακὸς, poſitas, Iouem verò, & Saturnum, errantes, ſeu Planetas: harum ſitum, aſpectumque mutuum attendunt Genethliaci, & ad horam, imò & punctum naſcentis hominis referunt, vt de caſibus futuris pronuncient; quanquam de futuris pronunciare certò, vnius Dei eſt, à cuius nutu pendent noſtra omnia.

Scorpius formidoloſus ideò, quia pars violentior natalis horæ; id eſt, ſi ortus tunc fuerit, cùm in lucem editur puer, vitæ breuitatem, & alia ei portendet infortunia. Capricornus autem qualis homini ſit futurus, oſtendit excitatis in mari tyrrheno, quod heſperium, ſiue occiduum vocatur, tempeſtatibus, quæ vim longè maiorem requirunt, quàm priuati cuiuſpiam hominis mala, hæc enim leuioris operæ ſunt. At naturæ ſolius, marinæ tempeſtates; huma-

ni casus, prætereà gratiæ, cuius accessu, recessuque, contraria multa oppidò fiunt, concurrente arbitrio libero, quod cessat in rebus naturæ: nam opera eius, necessaria sunt, opera autem voluntatis humanæ, contingentia, quia liberi arbitrij sunt, siue opera libertatis: esto accedat ad libertatem gratia; nam accedens, eam iuuat non tollit: si enim tolleret, non iam essent humana opera, sed diuina procul dubio, quia opera essent vnius gratiæ, quæ virtus est, siue vis, procul dubio diuina.

Te Iouis impio tutela Saturno refulgens eripuit; perdidisset te Saturnus, nisi Iupiter seruasset: malignus quippe Saturni aspectus benigno Iouis aspectu temperatur. Sonus lætus, est plausus, ter à populo Romano factus accedenti ad theatrum, ex morbo, Mæcenati.

Faunus, custos Mercurialium virorum; quòd qui litteris dant operam, rus libenter sese identidem conferant: nam, quemadmodùm aiebat ille:

Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.

Faunus autem ruris rusticorumque veterum Deus.

ODE XIV.

Ad Varum.

NOn ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes hymettiæ
Premunt columnas, vltima recisas
Africa; neque Attali
Ignotus hæres regiam occupaui;

Nec laconicas mihi
   Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides, & ingeni
   Benigna vena est; pauperemque diues
Me petit: nihil suprà
   Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
   Satis beatus vnicis Sabinis.
Truditur dies die,
   Nouæque pergunt interire Lunæ.
Tu secanda marmora
   Locas sub ipsum funus; & sepulchri
Immemor, struis domos,
   Marisque Baiis obstrepentis vrges
Summouere littora,
   Parum locuples continente ripa.
Quid quod vsque proximos
   Reuellis agri terminos, & vltra
Limites clientium,
   Salis auarus? pellitur, paternos
In sinu ferens Deos,
   Et vxor, & vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen
   Rapacis Orci fine destinata,
Aula diuitem manet
   Herum. Quid vltra tendis? æqua tellus
Pauperi recluditur,
   Regumque pueris; nec satelles Orci
Callidum promethea

Reuexit, auro captus: hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet: hic leuare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus, atque non vocatus, audit.

Non ebur, neque aureum mea renidet in domo lacunar, non mihi sunt lecti eburnei, neque aurata domus laquearia. Nam ebur ad lectos, aut certè ad mensas, retulerim ego potiùs, quàm ad laquearia; & ea, aurata Romæ potiùs, quàm aurea fuisse crediderim.

Trabes hymettiæ, ex hymetto, monte Atticæ, in vrbem illatæ: sunt qui velint fuisse marmoreas, quòd Plinius Hymettias columnas marmoreas appellet alicubi: sed ratio ea imbellis: an enim non possunt, eodem in monte, & ligna, & lapides esse? Arbitror ego notari trabes ligneas, qui enim trabes dicit, ligneas dicere solitus est; fuerint autem istæ, vel ex cupresso, vel ex larice, vel fortassis ex cedro.

Africa vltima, Numidia opinor, vbi marmoris eximij copia. Numidiam porrò vltimam eo sensu vocatam existimem, quo sensu vocata est vltima Thule, & extremi hominum Morini: nam ibi, vltimi, & extremi vox pro valdè remoto tantùm, ni fallor, vsurpata; quis enim mentis compos, & ingenio aliquo præditus, in orbe, cuiusmodi Mundus iste est, vltimum propriè dictum reperiri posse putet?

Attalus, Pergami Rex, liberis carens, hæredem Romanum populum scripsit; ac tametsi eius opibus locupletati sunt multi, Horatius tamẽ inde sensit beneficij nihil: siue quòd ciuis Romanus non esset, siue quòd ea præda optimates duntaxat respiceret; neque enim ad plebeios deuenire solent bona publica.

Clientæ,

Clientæ, obsoleta vox, à veteribus quibusdam vsurpata. Clientas appellat Poeta fœminas, quæ Varum Patronum agnoscerent, & purpuras ei traherent Laconicas, seu lanam tarentinam in stamina è colu deducerent, vnde confici posset purpura. Tarentinam pro Laconia dixi; quia Tarentum vrbs Calabriæ fuit, à Laconibus extructa, & lanæ, & purpuræ præstantiâ, celebris: Ita enim Virgilius Euboicas Cumarum oras dixit; quia Cumæ à Chalcidensibus ex Eubœa profectis olim conditæ.

Sabini, Latinis, Italiæ populis, vicini, apud quos habebat prædium Horatius, quod nomine Sabinorum designat, eoque se contentum profitetur: quòd ab vrbe non distaret, & ad vitam vtcunque tolerandam satis esset. Cùm autem ait: truditur dies die, nouæque pergunt interire Lunæ: significat, sibi mutuò dies, mensesque succedere; Gallus diceret: *Vn jour pousse l'autre iour, vn mois suit l'autre mois.* Vel breuiùs: *Le temps s'écoule insensiblement, ou le temps passe.* - - — - — — — ---- .

Tu secanda marmora locas sub ipsum funus; instat vltima vitæ hora, tu tamen de cædendis lapidibus cogitas: & immemor sepulchri domos strui, imò ædificas superba Palatia, quasi nunquam moriturus: vrges summouere maris littora, moles excitas, quibus mare propellas longiùs, & quidem summo conatu: obstrepentis Baiis, quia resistit conatu summo etiam, & vim fieri sibi, murmure ad Baias excitato, continenter, ostendit. Baiæ, à Baio, Vlyssis filio, dictæ, inter Puteolos, & Misenum, felicis Campaniæ montem, sitæ, agrum habebant amœnissimum, in quo plurima Romanorum procerum ædificia, quibus vnum aliquod amplissimum senex Varus adiungebat: parum locuples continente ripa, sed quòd in solo non satis ad id suppeteret spatij, vim salo inferebat.

Quid quod vsque proximos reuellis agri terminos, & vltra limites clientium salis auarus? Inuolabat prætereà in alienos limites, ac ne ipsis quidem suorum clientum possessiunculis abstinebat. Pellitur paternos in sinu ferens Deos, & vxor, & vir, sordidosque natos, miseris coniugibus, barbarum in modum spoliaris, fugatisque, præter eiulantes, squalidosque liberos, & penates relinquitur penitùs nihil, ea est inclementis patroni rapacitas.

Nulla certior tamen rapacis Orci fine destinata, aula diuitem manet herum; id est, ædificas quidem magnificas domos, ô auare: nullam tamen certiùs habiturus es eâ, quæ tibi destinatá, & parata est, in Tartaro, quo tandem deueniunt mortales vniuersi: quare destinata non coniungitur à me cum fine, sed cum aula, quæ dicitur destinata fine Orci, seu destinata ad Orcum, quasi ad mortalium omnium finem, Orcus autem est Tartarus: Vel certè destinata fine, destinata per finem, aut à fine; qui finis, non alius, quàm Orcus, qui propterea rapax, omnes enim ad se trahit, ex mente saltem Horatij, quæ nunc etiam vera, si Orci appellatione tumulus tantùm designetur, non Tartarus.

Satelles Orci non dicenda mors, nec verò etiam Charon, sed Mercurius: mors enim ad vitam non reuocat; Charon autem Tartaro nunquam egreditur, sed Acherontis fluuij ripæ affixus manet: at Mercurius, superis Deorum gratus, & imis, non deducit ad Orcum animas duntaxat, verùm easdem etiam reducit inde identidem: quòd cùm facit, Deorum imperio adactus id facit, non pecunia hominum corruptus, & illectus: idcircò tametsi Prometheus sapientissimus fuit, ditissimus Tantalus; Pelops, Atreus, Agamemnon, Orestes, nobilissimi: eos tamen Mercurius ibi detinet, neque hîc remanere sinit inopem,

ignotumve quemlibet alium, siue is mortem citam postulet, seu vitam longiorem exoptet. Hic vocatus leuare pauperem functum laboribus, id est vocatus ad leuandum, siue vt leuet, aut subleuet pauperem functum laboribus; atque non vocatus, imò & non vocatus, audit nihilominùs, & æquè ad eum rapiendum venit.

ODE XV.

In Bacchum.

BAcchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Euoe, recenti mens trepidat metu
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. Euoe, parce Liber,
Parce graui metuende thyrso.
Fas peruicaces est mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis & vberes
Cantare riuos, atque truncis
Lapsa cauis iterare mella.
Fas & beatæ coniugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disiecta non leui ruina,
Thracis & exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum:

Tu ſeparatis vuidus in iugis
  Nodo coerces viperino
    Biſtonidum ſine fraude crines.
Tu, cùm parentis regna per arduum
Cohors gigantum ſcanderet impia,
  Rhœcum retorſiſti leonis
    Vnguibus, horribilique mala,
Quanquam choreis aptior, & iocis,
Ludoque dictus, non ſat idoneus
  Pugnæ ferebaris; ſed idem
    Pacis eras, mediuſque belli.
Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
  Caudam, & recedentis trilingui
    Ore pedes, tetigitque crura.

Bacchus, ideò docere carmina ſcribitur, quòd Poetæ quidam vino madidi, tum maximè in poeticen incumberent; vti traditum de Anacreonte, & Ennio: vel certè quòd veteres multi, cum Apolline, confunderent Bacchum, & vtriuſque nomine, ac ſymbolis, Solem vnum deſignarent: Atqui Apollo, poetices, & carminum erat, apud veteres, Deus. Cur autem in remotis rupibus, propter ſeceſſum, opinor, quem amant condendorum carminum ſtudioſi: niſi placet id factum propter Nymphas, & Satyros, quæ ſunt numina montium: & Satyri quidem, pedibus, auribuſque caprinis, præditi; quod verſentur libenter in montibus capri, & ad libidinem proni ſint, ſalaceſque, vt Satyri; quorum enim petulantiam vix effugiunt Nymphæ. Satyros Phornutus ſtuporis plenos facit; ſed quanquam Satyrorum ſpecies, & for-

ma, belluina potiùs, quàm humana est, stupori tamen parum videtur affinis, desultoria quippe est, & lubrica tota: nec verbum σεσυρέναι huc inuitos nos trahit; nam nec σεσυρέναι hiare est propriè Græcis, neque inde Satyri appellati, quod Phornutus putauit. Satyros in Atticis describit Pausanias, à Care Euphemo visos; at vel dæmonum præstigiæ illæ fuerint, vel caudatæ simiæ, quæ ex Græcis voce vna, cercopitheci.

Euoe, Græcis, εὐοῖ, quod non multùm discrepat ab Euhye, de quo aliàs: vtrumque Baccho solitum acclamari. Recens metus, tum nouus, tum meliùs etiam, repentinus: miscetur autem gaudio, sed non puro, ac sincero. Liber, idem qui Bacchus, dictus Liber, quòd curis liberet: & Bacchus, à βακχεῖν, inebriari, vel etiam, autore Eustathio, βαχεῖν, inconditum clamorem edere, qualem edunt, in suis orgiis, Bacchæ.

Thyrsus, hasta est Pampinis obuoluta, metuendus igitur haud abs re thyrsum gestans: tum quia temulentus ipse est; tum quia latet iaculi cuspis. Fas est mihi, loquitur Poeta, quasi sacris initiatus; non est ergo quod timeat, si de sacris loquatur. Thyades, Bacchi sacrificulæ, ἀπὸ τοῦ θύειν, sacrificare: peruicaces; his Bacchi furoribus, ac mysteriis, ad insaniam addictæ: quales hodie striges, veneficæque mulieres nunquam in posterum ad mentis sanitatem reuersuræ. At verò non longum est inter has, & illas, interuallum; etenim credibile mihi vtrasque à malo fuisse actas dæmone, iisdemque præstigiis irretitas. Nocturnos certè Thyades quoque celebrabant conuentus, & multa infanda perpetrabant. Quorsum autem spectabant fontes vini, riui lactis, & mellis

cadi, nisi ad instruenda conuiuia, quibus ca... ...ūt etiam nunc è plebe infima multi, qui quanqu... ...e- portant ventrem, vacuum, se tamen lautè ... ...o- dùm acceptos existimant?

Iterare, iterum, imò sæpius canere: vini fo... ...n, lactis vberes riuos, atque trūcis lapsa cauis mel ... ...c- cultis Thyadum artibus deductos, ex terræ vi... ...i- bus, vini & lactis riuulos; expressam, ex caud... ...us arborum, immensam mellis copiam: quæ si verè ... ...a- tigerunt aliquando, inuehente subtiliter ea d... ...ò- ne omninò contigerunt.

Beata coniux, Ariadne, Minois, Cretensium ... gis, filia, quæ cùm Theseo Minotaurum prodi... ...t, ab eo adamata dicitur, & imposita naui, deser... ...- rò postmodùm, à Baccho in vxorem accepta; ... ...s & corona nuptialis ab eodem sideribus illata e... caturque corona Gnossia, seu Cretensis, nam G... ...- sus est Cretæ ciuitas, quæ toti insulæ hodie... nomen dedit, appellatur enim Candia. De co... ...a copiosè Hyginus, Poetic. Astron. lib. 2. Huius ... ...- cà in cœlo situm exhibet, aitque constare ... ...s nouem, eleganter in orbem dispositis.

Pentheus, Echionis, Thebarum Regis, & ... ues filius, Bacchum negauit Deum esse, mysteria ... ...- dem spreuit; eum ideo Agaue, cum sororibus, ... & Autonoe, per insaniam à Baccho immissam, m... bratim laniauit, dementem Virgilius appella... merito, non quòd sacra profana, impiaque co... ...- pserit, sed quòd solus, & inermis, abierit in ... ...- tem auium, vitamque, mulierum furenti ca... crediderit.

Lycurgus, Thraciæ Rex, Dryantis filius, Bacchum in mare compulit, Bacchi nutrices ab vrbe Nysa eie- cit: hinc à Ioue priuatus oculis, subindeque à Bac- cho interfectus.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum; tu tibi flumina, & maria subjicis, flectisque ad arbitrium: ideò quia debellauit Indos Bacchus: at debellare non potuit, quin flumen indum superaret, & in Indico feliciter pugnaret Oceano; aliter enim non vincuntur maritimi populi, quales Indi sunt, quàm maritimis prœliis.

Tu separatis vuidus in iugis nodo coerces viperino Bistonidum sine fraude crines; tu, cùm mero incaluisti, Thraciarum Mænadum comas, in remotis montium cacuminibus, absque noxia vlla, serpentibus inuoluis. Dicebantur Bacchæ, Mænades, quasi furentes, à Græco verbo μαίνομαι; Bistonides autem, à Bistone, Thraciæ rege, à quo ibidem, & stagnum, & ciuitas, nuncupata est Bistonis, Bistonia verò Thracia ipsa. Vuidus, madidus vino. Separata iuga, montium videlicet, interpretare solitaria. Coercere nodo crines, in nodum implicare: viperinus autem nodus ille est, seu ex viperis contextus; parum enim à furiis distabant eæ Mænades, hinc affine, imò idem vtrarumque capitis ornamentum. Sine fraude, sine dolo malo, seu quod idem est, sine noxia, aut damno: siquidem vbi fraus, aut dolus malus subest, ibi, aut subest, aut subesse damnum potest; quia nemo fraudem facit in alterius cõmodum.

Tu, cùm parentis regna per arduum cohors gigantum scanderet impia; tu, cùm gigantes regnum Iouis scanderent, reliquosque præterea Deos de cœlo deturbare conarentur: Rhoecum retorsisti, Leonis vnguibus, horribilique mala; mutatus in Leonem, de Rhœco triumphasti. Nota est Gigantum, Titanis, ac terræ filiorum, aduersus Deos pugna, in qua Bacchum Phornutus ab iis distractum in partes, fœdéque laceratum ait, sed rursus à Rhea compositum, atque coagmentatum; Horatius contrà

cadi, nisi ad instruenda conuiuia, quibus capiuntur etiam nunc è plebe infima multi, qui quanquam reportant ventrem, vacuum, se tamen lautè admodùm acceptos existimant?

Iterare, iterum, imò sæpius canere: vini fontem, lactis vberes riuos, atque trũcis lapsa cauis mella; occultis Thyadum artibus deductos, ex terræ visceribus, vini & lactis riuulos; expressam, ex caudicibus arborum, immensam mellis copiam: quæ si verè contigerunt aliquando, inuehente subtiliter ea dæmone omninò contigerunt.

Beata coniux, Ariadne, Minois, Cretensium Regis, filia, quæ cùm Theseo Minotaurum prodidisset, ab eo adamata dicitur, & imposita naui, deserta verò postmodùm, à Baccho in vxorem accepta; cuius & corona nuptialis ab eodem sideribus illata est, vocaturque corona Gnossia, seu Cretensis, nam Gnossus est Cretæ ciuitas, quæ toti insulæ hodiernum nomen dedit, appellatur enim Candia. De corona copiosè Hyginus, Poetic. Astron. lib. 2. Huius posteà in cœlo situm exhibet, aitque constare stellis nouem, eleganter in orbem dispositis.

Pentheus, Echionis, Thebarum Regis, & Agaues filius, Bacchum negauit Deum esse, mysteria eiusdem spreuit; eum ideo Agaue, cum sororibus, Ino, & Autonoe, per insaniam à Baccho immissam, membratim laniauit, dementem Virgilius appellat, & meritò, non quòd sacra profana, impiaque contempserit, sed quòd solus, & inermis, abierit in montem auium, vitamque, mulierum furenti cateruæ crediderit.

Lycurgus, Thraciæ Rex, Dryantis filius, Bacchum in mare compulit, Bacchi nutrices ab vrbe Nysa eiecit: hinc à Ioue priuatus oculis, subindeque à Baccho interfectus.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum; tu tibi flumina, & maria subjicis, flectisque ad arbitrium: ideò quia debellauit Indos Bacchus: at debellare non potuit, quin flumen indum superaret, & in Indico feliciter pugnaret Oceano; aliter enim non vincuntur maritimi populi, quales Indi sunt, quàm maritimis prœliis.

Tu separatis vuidus in iugis nodo coerces viperino Bistonidum sine fraude crines; tu, cùm mero incaluisti, Thraciarum Mænadum comas, in remotis montium cacuminibus, absque noxia vlla, serpentibus inuoluis. Dicebantur Bacchæ, Mænades, quasi furentes, à Græco verbo μαίνομαι; Bistonides autem, à Bistone, Thraciæ rege, à quo ibidem, & stagnum, & ciuitas, nuncupata est Bistonis, Bistonia verò Thracia ipsa. Vuidus, madidus vino. Separata iuga, montium videlicet, interpretare solitaria. Coercere nodo crines, in nodum implicare: viperinus autem nodus ille est, seu ex viperis contextus; parum enim à furiis distabant eæ Mænades, hinc affine, imò idem vtrarumque capitis ornamentum. Sine fraude, sine dolo malo, seu quod idem est, sine noxia, aut damno: siquidem vbi fraus, aut dolus malus subest, ibi, aut subest, aut subesse damnum potest; quia nemo fraudem facit in alterius cōmodum.

Tu, cùm parentis regna per arduum cohors gigantum scanderet impia; tu, cùm gigantes regnum Iouis scanderent, reliquosque prætereà Deos de cœlo deturbare conarentur: Rhoecum retorsisti, Leonis vnguibus, horribilique mala; mutatus in Leonem, de Rhœco triumphasti. Nota est Gigantum, Titanis, ac terræ filiorum, aduersus Deos pugna, in qua Bacchum Phornutus ab iis distractum in partes, fœdéque laceratum ait, sed rursus à Rhea compositum, atque coagmentatum; Horatius contrà,

certasse Bacchum fortiter, & induta Leonis forma, vngues Rhœco, dentesque impressisse. Parens Bacchi, Iupiter. Arduum iter, ad cœlum videlicet, in alto collocatum: quod vt conficerent, gesturi bellum immanes Theomachi, montes montibus imponebant, ita enim narrant fabulæ. Retorsisti, repulisti, reiecisti: videtur à telis desumpta metaphora, ea quippe in nos intorta tunc retorquemus, quando in hostem, priùs missa, remittimus. Leonis vnguibus, horribilique mala; nam Leones, vnguibus, dentibusque potissimùm pugnant; quanquam & cauda verberant grauiter. Rhœcum, alij Rhœtum legunt; malim ego Rhœcum hoc loco retinere: est autem Rhœcus, Græcis, ῥοικὸς, prauus, strabus, rugosus; quæ voces non indignæ Theomacho.

Idem pacis eras, mediusque belli, eras inter pacem, bellumque medius: seu quod idem est, ad vtrumque paratus, & expeditus: historicè, quia Bacchus, conuiuiorum est præses, Apollo autem, quem Macrobij sententia, eundem atque Bacchum fuisse monuimus, insignis pharetra est, vt Poeta noster canit, proindeque bellicosus: Tropologicè verò, quia vinum, pro quo Bacchus, per metonymiam, ponitur, ad hilaritatem aliquos, pacemque colendam impellit suauiter, ad iracundiam alios, bellumque concitat vehementiùs. Idipsum symbolica eiusdem Bacchi pictura significat; hanc Albricus Philosophus, de Deorum imaginibus, ait fuisse, facie muliebri, pectore nudo, capite cornuto, subiecta instar equi tigride; adstantibus belluis tribus aliis, simia, porco & leone: nam muliebris facies, ac pectus nudum, candorem, & blanditias: cornutum autem caput, & subiecta tigris; atrocitatem, rixasque portendit: nec abludunt leo, & simia, leo enim furorem, vel ipso aspectu, exprimit; at simia, in ludis, ac gesti-

culationibus tota, loquacitatem, aut nugas. De porco quid attinet disputare nunc pluribus? Nemo est quin sciat reperiri haud semel homines, adeò sepultos vino, vt immundo huic animali similes iaceant, neque vllum rei vllius præferant sensum.

Vidit Bacchum Cerberus, quando is descendit ad Inferos, matrem Semelen educturus: vidit autem, caudam atterens leniter, quod quidem adulantis est: atterebat verò, quòd motando, terram ea feriret, vtpote iacens. Tetigit pedes, & crura, lambendo; quod item adulantis. Ore trilingui, quia triceps canis iste iam Horatio est, qui eidem fuerat antè centiceps: & quanquam immitis, & sæuus, Baccho tamen molestus non fuit, idcircò rectè insons, quod idem atque innoxius. Restat aureum cornu, vel insigne, vel symbolum, quod vt cornu Bacchi est: & vt aureum Dei: Deorum enim maximè propria sunt, quæ in genere suo habentur eximia.

O D E VXI.

NOn vsitata, nec tenui ferar
Penna, biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longiùs; inuidiaque maior,
Vrbes relinquam: non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Mæcenas, obibo;
Nec stygia cohibebor vnda.
Iamjam residunt cruribus asperæ
Pelles, & album mutor in alitem

Supernè ; nascunturque læues,
Per digitos, humerosque, plumæ.
Iam dædaleo ocyor Icaro
Visam gementis littora Bosphori,
Syrtesque Getulas, canorus
Ales, hyperboreosque campos.
Me Colchus, & qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, & vltimi
Noscent Geloni ; me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.
Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ :
Compesce clamorem, ac sepulchri
Mitte superuacuos honores.

Primis octo versibus hæc tantùm duo verba exprimit Horatius : fiam immortalis. Non vsitata, nec tenui ferar penna, biformis per liquidum æthera vates, alas induam extraordinarias, & validas, quibus in cœlum efferar, tanquam Poeta videlicet, & lyricis, & satyricis carminibus maximè illustris. Neque in terris morabor longiùs;neque hîc diutiùs ero. Maior inuidia, cur? nisi quia inter æquales æmulatio est, & comes æmulationis, inuidia : sed neutra inter admodùm inæquales:hinc opifex opifici mercator mercatori, ferè inuidet:neuter,aut Regi, aut summo Pontifici.

Pauperum sanguis parentum, obscuro loco natus. Cohiberi vndâ stygiâ, in Tartarum dejici : quia ibi Styx, quæ videtur fuisse fluuius, in paludem desinens : nam modò fluuius vocatur ab Antiquis, modò palus. Cohiberi autem propriè, est vi quadam de-

tineri : cùm ergo Inferorum fluuij quatuor essent, Acheron, Styx, Cocytus, & Lethe, fuerint hi tanquam cancelli quatuor, intra quos animæ mortuorum penè omnes inuitæ consisterent : eximebantur inde aliquæ tamen, eorũ nempe, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus, vt alter poeta canit : noster porrò, istorum contuberniis inserere sese non dubitat, poetices vnius profanæ nomine, quanquam artem eiusmodi nec requirunt Inferi absentem, opinor, neque Superi præsentem respiciunt.

Iamiam resident cruribus asperæ pelles, alia iam crurum meorum pellis : etenim humana quæ tenerior, & mollior, in duriorem asperioremque mutatur, qualis ea est, quæ auium, aquaticarum præsertim, crura induit. Album mutor in alitem supernè, in cycnum, noua metamorphosi, superior mei pars conuertitur : nascunturque læues per digitos, humerosque plumæ, manus, & brachia, fiunt alæ. Nimirùm Imperatores mortui abibant in aquilas, quæ altissimè omnium volant, Poeta in cycnum abire vult, qui canit omnium suauissimè, si scriptoribus nonnullis habenda est fides. Adhæc, Apollini, Phornuto teste, sacer est cycnus, vt & sacri Poetæ : cur ergo Poeta non tandem fiat cycnus ? Priusquam hinc discedo, propono quæstionem Grammaticam, sunt enim, qui legant : Mutor in alitem superna, id est, τὰ ἄνω, ait Heinsius : alij, Mutor in alitem supernè: ἐκ τῶν ἄνω, ait Lambinus, cui assentio, quòd sic scribant constanter Codd. MSS. neque est quamobrem de vltima syllaba, quam breuem oportet esse, quis præposterè dubitet : est enim, non apud Horatium tantùm, sed apud Lucretium etiam, probatum vtique scriptorem, ea syllaba breuis ; ita enim

Lucretius: *Tecta supernè timent, metuunt infernè cauernas.*

Icarus Dædaleus, quia Dædali filius: fuit autem Dædalus, Faber ingeniosissimus, Athenis natus, Mitione patre, qui cùm in Creta fecisset labyrinthum, in eum, Minois Regis iussu, inclusus, cum Icaro, alis arte comparatis, euolauit; euolauit & Icarus, tametsi posteà in mare præceps ruit.

Bosphorus accipi potest, hoc loco, Thracius æquè, ac Cimmerius: vterque gemens, quia in vtroque comprimitur mare, quod sine strepitu fieri nequit; qui venustè gemitus dicitur, quasi doleret angustias illas mare, spatiumque posceret amplius.

De Syrtibus dictum aliquid ad Od. xvi. lib. 1. Getulæ cognominantur hîc à Getulis, Africæ populis, à quibus non distant Garamantes: hos vocat extremos Virgilius, quod inexplorata tunc vltra illos essent multa orbis terrarum alioqui florentissima regna.

Hyperborei Campi, ad Boream, siue Septentrionem, vltimi: quemadmodùm proximè significati, ad meridiem: Boreas enim à plaga Septentrionali oritur, vbi glacie concreta omnia, per totum fermè annum: tametsi arbitrabantur veteres, ibi, vltra Riphæos, montes, fortunatam gentem esse, quæ pacata frueretur, ac diuturna vita: verùm nostri Argonautæ nihil ibi præter pellitos homines, reperiunt, Samoiedas inquam, & Groenlandios, quibus quidem tranquillè viuere licet, cùm vix pateat ad eos vno aut altero anni mense accessus, isque admodùm difficilis, nec occurrat ibi quidpiam, quod militum rapacitatem irritet: quare nulla vnquam ab exteris bella, rara verò à domesticis, quia causæ rixarum, si emergant, vti raræ, ita tenues: sed non ideò non viuitur miserè, tum propter inclementiam

cœli, ſolique aſperitatem, cùm propter rerum etiam ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum inopiam. De Riphæis montibus non conuenit inter Criticos: dicendi omninò montes ad Boream eſſe, verùm nulli apparent Riphæis illis veteribus planè ſimiles, ij ergo in figmentis Poetarum reponendi.


Colchus, homo natus in Colchide, quæ regio eſt Aſiæ iuxta Pontum, de qua ſcriptum aliquid alibi: Dacus autem, ortus in prouincia Scythiæ Dacia; Gelonus, alia in prouincia eiuſdem Scythiæ: Ait autem Horatius notum ſe fore barbaris eiuſmodi populis, ſed à Gallis, & Hiſpanis, expectat maius aliud, cùm ſubiungit: me peritus diſcet Iber, Rhodanique potor: quaſi diceret, opera mea euoluent diligenter, eaque mandabunt memoriæ, Hiſpani, atque Galli; reliqui verò extra Italiam populi, præſertim ij, qui ad Scythiam vergunt, vel certè in Scythia ſunt, eorundem operum ſolo rumore percellentur,


Marſi, à Marſo, Circes filio, à quo habent originem, dicti populi, Romana ſequuti ſigna, in Dacos pugnarunt ferociter: hos quanquam metuebant barbari, metũ tamen diſſimulatione tegebant, Iberes, Aſiatica gens: Iberi, Europæa, inquit, in lexico hiſtorico, Ioannes Cibenius: At Iberes Europæa etiam gens Horatio noſtro: ſed quæres, cur periti? quia non ignari Latini ſermonis; vt quidem ego arbitror, alioqui quo pacto carmina poetæ huius addiſcerent? nempe quatuor primariæ linguæ, Illyrica, Germanica, Græca, & Latina, Europam vniuerſam occupabant antiquitus; Latina, nam de reliquis hîc ſileo prudens, vigebat apud Italos, Gallos, & Hiſpanos indigenas: indigenas inquam; quemadmodùm enim in Italia fuerunt aduenæ Græci, ac Teutones; iidem in Gallia, & præterea Britanni;

ſic Pœni, ſeu Phœnices, inter alios, in Hiſpania, poſteáquè Mauri, & Arabes, qui patria vocabula eò plurima induxere, & non ideò Latina lingua ibidem interiit: ſtat enim, deformata licet, etiam nunc, haud ſecus ac in Italia, & in Gallia noſtra.

Rhodani potor, Gallus, qui Rhodano gaudet fluuio, hodieque ex eó bibit, præſertim Arelate, vbi alia nulla eſt, quæ bibi poſſit, aqua. Romæ tametſi, præter Tiberinam, ſuppetit alia multiplex, ea tamen optima cenſetur, & à multis auidè bibitur: ne quid addam de Niliaca, qua vtitur, tota, quanta quáta eſt, Ægyptus. Sunt enim aquæ fluuiorum quorundam, vbi à ſordibus repurgatæ nonnullis fuerint, ſalubres in primis.

Næniæ, cantus lugubres. Querimoniæ, præficarum mulierum, quarum, noſtra hac ætate, perdurat, in Græcia, vſus, nec abeſt omninò à Gallia: ſiquidem, Aquis Sextiis, funebrem habitum induunt conductæ ad id vetulæ, & ciue mortuo, in compitis nuntiant funus, non ſine comploratione prolixa.





LIBER III.

ODE I.

Di profanum vulgus, & arceo..
Fauete linguis. Carmina non prius
Audita, Musarum Sacerdos,
Virginibus, puerisque, canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio mouentis.
Est vt viro vir latiùs ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in campum petitor;
Moribus hic, meliorque famâ,
Contendat; illi turba clientium
Sit maior. Æqua lege necessitas
Sortitur insignes, & imos:
Omne capax mouet vrna nomen.
Destrictus ensis cui super impia
Ceruice pendet, non siculæ dapes

Dulcem elaborabunt saporem,
Non auium, citharæque cantus,
Somnum reducent: somnus agrestium
Lenis virorum, non humiles domos
Fastidit, vmbrosamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum solicitat mare,
Nec sæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hœdi;
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Iactis in altum molibus; huc frequens
Cœmenta dimittit redemptor,
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus: sed timor, & minæ,
Scandunt eodem quo Dominus; neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.
Quod si dolentem nec phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit vsus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum,
Cur inuidendis postibus, & nouo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina

Diuitias operosiores?

Non Epicureum hac Ode, sed Socraticum planè Philosophum agit Horatius, quocirca, res graues, & serias, mysteriorum quodammodò similes, vt rectè Lambinus inquit, non ludicras, neque amatorias cantaturus, homines prauis opinionibus imbutos, atque idcircò vtilissima ad vitam bene instituendam præcepta respuentes, à suis carminibus, tanquam profanos à sacris mysteriis arcet. Profani propriè, apud veteres, non initiati: nunc per quandam analogiam, profanum vulgus, imperitum, cui non ratio, sed sensus imperet; est enim id à Musis, ea maximè, quæ virgines, puerosque deceant, nempe casta, canentibus, alienum.

Hoc verbum, fauete linguis, non vt plerique existimant, à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente. Ita Bondius, ex Seneca, non ita ex Festo Lambinus: fauentia inquit, bonam ominationem significant: nam præcones clamantes, populum sacrificiis fauere iubebant, fauere enim est bona fari. Adstipulatur festo M. Tullius, dum ait: hominum voces vocant omina, quæ maiores nostri, quia valere censebant, idcircò omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, fortunatumque esset, præfabantur; rebusque diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis imperabatur. Hactenus eloquentiæ Romanæ parens, sacrorum suæ gentis rituum nequaquam ignarus. Cum bona igitur Senecæ, Bondiique venia, dicam, fauere linguis, esse idem ac silere, aut proferre boni ominis verba, & à malè ominatis abstinere omninò, ne sacra interturbent, ac vitient. Et certè quis iustus rerum æstimator persuaserit sibi, verba etiam pia, & religiosa, pietati,

religionique contraria extitisse, ac apud celestium inanes homines palam vetita?

Musarum sacerdos, vtpote qui carmen istud, quasi victimam, Musis offero; neque enim cruentæ omnes erant, oblatæ diis victimæ. Haud iniuria, greges, populi; quia Reges citra iniuriam, pastores: subsunt autem Ioui, vel potiùs opt. max Deo, ij magis, quàm subsint iis populi. Clarus quidem giganteo illo triumpho, quem celebrant Poëtæ, Iupiter: verùm claritas illa commentitia planè est, Dei autem opt. max. vera, explorataque potentia, cuius nutum creata cuncta sentiunt.

Est vt viro vir latiùs ordinet arbusta sulcis, euenire negotio nullo potest, vt vnus aliquis plures longè, quàm alius, arborum plantatarum ordines dirigat, propterеáque sulcos ducat: hic generosior descendat in campum petitor; vt iste, rebus in bello præclarè gestis inclytus magistratum in campo Martio petat: Moribus hic, meliorque fama, contendat, eius verò competitor, probitatem, vitæque innocentiam, eò afferat: illi turba clientium sit maior, neque desit, qui additorum sibi ciuium stipatus frequentia, cæteros anteire se posse non dubitet. Æqua lege necessitas sortitur insignes, & imos, omne capax mouet vrna nomen: at vbi mortalium nomina in vrnam Parcarum coniecta sunt, nullo nobilium ignobiliumque delectu, educuntur inde omnia, & prout occurrunt, nominati moriuntur. Descendebant in Campum Martium, eo sæculo, candidati, quia sitæ, in septem collibus, Romanorum erant domus. Mouet vrna, dum mouetur, mouetur autem, vt permista sint nomina, neque fraudi detur aliquis locus.

Destrictus ensis, cui super impia ceruice pendet, non siculæ dapes dulcem elaborabunt saporem, non

auium, citharæque cantus, somnum reducent, nec cibum, nec somnum capere poterit is, qui capiti suo impendentem gladium viderit, quidquid tandem deliciarum arrideat. Spectat autem Horatius Damoclem, tyranni Dionysij assentatorem, qui cùm, teste Tullio, in sermone copias, opes, maiestatem illius dominatus, commemoraret, ac prædicaret, negaretque vnquam quemquam beatiorem fuisse; iussit eum Dionysius fortunam experiri suam: collocandum curauit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornauit argento, auroque cælato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere. Aderant vnguenta, coronæ; incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu, fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum, demitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus: ita nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum; nec manum porrigebat in mensam: iam ipsæ defluebant coronæ: denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quòd iam beatus nollet esse. Declarabat autem Dioysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat. Ita Tullius, qui siculas dapes alibi hunc in modum perstringit. *Vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Syracusanarumque mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri.* Nam, quod ego docui, in notis ad selecta Martialis Epigrammata, prandio ferè Romani abstinebant, cœna vna contenti; & certè vix prandij vnquam mentio apud illos occurrit: quanquam in reliqua Italia, & Sicilia, vbi Syracusæ, vrbs nobilis, non eadem vigebat abstinentia.

Desiderantem quod satis est, neque tumultuosum

solicitat mare: qui tantùm ea cupit, quæ naturæ sufficiunt, sufficiunt autem pauca, is nauem non conscendit, nec se maris committit inconstantiæ: nec sæuus Arcturi cadentis, impetus, aut orientis hœdi: quando enim oriuntur in cœlo hœdi, aut Arcturus occidit, concitantur procellæ turbulentissimæ, quas ille necessariò subit. Non verberatæ grandine vineæ, fundusque mendax, arbore nunc aquas culpante, nunc torrentia agros sidera, nunc hyemes iniquas; intellige, solicitant, est enim protozeugma: non queritur afflictas grandine vites suas, neque agris, arboribusve sterilitatem inditam, vel ob siccitatem nimiam, vel ob vehementiorem æstum, vel ob imbres assiduos, aut intolerabile aliquod frigus; quod suppetant semper, famem importunam opportunè repellentia, neque vnquam vniuersa ruricolis pereant.

Arcturus cadens, est Arcturus occidens, vt sit simplex pro composito. Est autem Arcturus, idem qui Arctophylax, & Bootes, quæ sunt nomina Græca: Bootes, bubulcus, Arctophylax, custos vrsæ, Arcturus, vrsæ cauda: nempe stella in cauda vrsæ: quanquam Hyginus Arcturum distinguit à Boote, vt partem à toto; siquidem de Boote agens, lib. 3. habet Bootes, siue Arctophylax, inquit, in sinistra manu stellas quatuor, quæ occidere nunquam videntur, in capite stellam vnam; in vtroque humero singulas: in vtraque manu singulas, sed clariorem dextram, & sub ea alteram obscuram, & in cubito dextro claram vnam; in zona vnam, clariùs cæteris lucentem, hæc stella Arcturus appellatur; in vtrisque pedibus singulas, quæ omninò sunt quatuordecim: at Ptolemæus, viginti tres numerat, Keplerus, viginti octo: Recentiores aliqui, triginta duas; Bayerus, triginta quatuor, & Arcturum etiam plerique

distingunt à Boote; sed & qui non distinguunt nomine, re tamen diuersum faciunt.

Hœdum Horatius, hoc loco, agnoscit vnicum, Astronomi nihilominùs duos affigũt Heniocho, qui Latinè Auriga est, de quo lib. 3. nuper cit. Hyginus: Habet stellam vnam, in capite; in vtroque humero, vnam, sed in sinistro, clariorem, quæ vocatur capra: in vtroque cubito, vnam; in manu duas, quæ hœdi appellantur: ita omninò sunt numero septem. Heniochum Mythologi fuisse Vulcani, & Mineruæ filium scribunt, nominantque passim Erichthonium, qui, quòd primus quadriges inuenisset, in cœlum à Ioue sit elatus.

Fundus non quilibet propriè mendax, tametsi fructus non fert, sed tunc tantùm, quando expectantur à domino ij fructus, ob egregiam, quam præferebat, speciem, sed aut à grandine decutiuntur posteà, aut ab aliis cœli vitiantur iniuriis; tunc enim mendax fundus, quia expectationem fallit.

Arbor culpat aquas, metaphoricè, & impropriè tamen; etenim culpare propriè, ratione vtentium est: culpat autem, dum humore aduentitio caret, & sterilitatis culpam in aquarum penuriam quodammodò rejicit: culpat etiam sidera, dum agros torrent, seu nimio calore incendunt, & iniquas hyemes, siue parum commodas tempestates, aut, quod idem, parum æquas.

Contracta pisces æquora sentiunt, iactis in altum molibus, auxesis manifesta: nam pisces, in libero agentes mari ædificia eò proiecta, haudquaquam afficiunt; neque verò faciunt mare angustius multo, quare spatium restat vagandi amplissimum. Cæmenta, lapides, cum calce, & arena. Redemptor, operis conductor: Gall. *Celuy qui a le prixfait du bâtiment*, is vtplurimùm est Architectus quispiam, qui

multitudine famulorum maxima eget.

Fundi dominus, aut agri possessor, idem ac dominus terræ: fastidiosus: Gall. *dédaigneux*. Qui opifices, aliosque huiusmodi, notæ inferioris homines, despicatui habet, potiùs quàm qui, ad extruenda palatia, in altum, siue in mare, moles iacit.

Timor, & minæ, scandunt eodem, quò dominus; si potentior quis, beato, & fastidioso isti, de quo proximè dictum est, cominatus sit fortè, percellitur metu, neque irarum deponit memoriam: neque decedit ærata triremi, & post equitem sedet atra cura, siue faciat vela, seu in equum ascendat. Atra cura; grauis, molesta: post equitem sedet, eodem equo vehitur: Gall. *Il porte ce chagrin en croupe, ou sur la croupe de son cheual; & s'il s'embarque, il va en mer auec luy.*

Quòd si dolentem nec phrygius lapis, nec purpurarum sidere clarior delenit vsus, nec Falerna vitis, Achemeniumque costum; si mœrorem non abstergunt vario marmore ornata palatia, confectæ ex purpura tyria vestes, epulæ pontificiæ, & vnguenta exotica: cur inuidendis postibus, & nouo sublime ritu moliar atrium? Cur ego de prætoriis mihi ædificandis cogitem? Cur valle permutem Sabina diuitias operosiores? Aut cur prædiolum meum, quod est in Sabinis, postponam opibus, improbo labore comparandis? Lapis phrygius; marmor, apportatum ex oppido Phrygiæ, Sinada, quod Claudianus, venis pictum purpureis, appellat. Achemenium costum; vnguentum delatum ex Perside, vbi quondam Rex Achemenes, cui costum myropola indiderit. Postes, & atria, partes domus, quæ prospiciuntur maximè, ideò diligentissimè instruuntur; tum verò inuidiam ciuium, & odium, vehementer exacuunt. Sabina Vallis, pro villa ibi sita.

ODE II.

Ad Amicos.

ANgustam, Amici, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta;
Vitamque sub dio, & trepidis agat
In rebus: illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta virgo
Suspiret; eheu ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tacta leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce, & decorum est, pro patria mori.
Mors, & fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentę
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus, repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via;
Cœtusque vulgares, & vdam

Spernit humum fugiente penna.
Est & fideli tuta silentio
Merces: Vetabo, qui Cereris [illegible]um
Vulgarit arcanæ sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phaselum. Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.
Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Sua[illegible]oratius, vt in exercitatione fortitudinis, & patientiæ, pueri versentur, non temerè paupertatem sumit, vt vnum è malis humanis, in quo perferendo, & insignis patientia desideretur, & animi fortitudo magnopere acuatur, ait egregiè Dionysius Lambinus.

Angusta pauperies, quia modicis circumscripta limitibus. Parthi feroces, ob reportatam à Romanis victoriam: hos vlcisci debebant equites, nam pedites non fuissent assecuti; pugnabant enim Parthi ex equis, & hostes etiam fugiendo vulnerabant, sed cùm leuis armaturæ essent omnes, hastis Romanorum confodiebantur facilè: Parthos autem præ aliis nominat poeta, quia de bello eis inferendo Imperator cogitabat, enim verò cùm peditatu valerent maximè Romani, [illegible]ronem istum suum non sat commodè imposui[illegible]t equo, si pugnandum in hostes alios foret.

Vitam sub dio, aut sub diuo agere, quod alibi dicitur, sub Ioue frigido; est agere extra vrbes, in castris, & cœli omnem inclementiam ferre. Res trepidæ, ingruentibus præsertim derepente hostibus; tunc enim trepidatur, dum raptim ad arma concurritur.

ritur : possunt nihilominùs appellari quoque res trepidæ, quoties accidit periculum aliquod aliud ingens, vbi animi requiratur præsentia, & vires corporis probentur.

Matrona tyranni, vxor viri principis. Adulta virgo, nubilis, immò nupta hîc, aut saltem desponsa; etenim sponso timet: nisi fortè sponsum appellet, quem sibi destinauit animo. Leonem interpretare Romanum adolescentem in media irruentem pericula, quem si barbarus iuuenis, disciplinæ militaris parum sciens, aggressus fuerit, sit certò periturus.

Mors & fugacem persequitur virum; vt accendat militem suum ad mortem fortiter obeundam Horatius, docet, eam non vitari à timidis; vt enim in pugna, sic in fuga, necessariò moriendum : ac ne quis diem saltem ignauiâ proferri existimet, ait, æquè pueros vita excedere, ac senes, & ætati cuilibet horam vltimam imminere.

Virtus, repulsæ nescia sordidæ, intaminatis fulget honoribus, virtute præditi eximia, nec repulsam patiuntur, quia nihil à populo petunt : neque repulsam sordidam, quia neminem malis artibus corrumpere nituntur: idcircò, dum ad publicas dignitates euehuntur, nullam timent infamiæ notam : Nec sumit, aut ponit secures, arbitrio popularis auræ: atque vt non sumunt magistratus insignia, quo sibi deuinciant plebem; sic nec ea doponunt, ne in odium eiusdem incurrant.

Repulsa sordida, non propter munerum largitionem duntaxat, verum etiam propter candidati parsimoniam : quàm fœdum enim est, nihil habere commendatione dignum, nisi pecunias : tam fœdum profectò, ita iis affixum esse, vt tantæ tenacitatis hominem horreat populus, neque ei sese, aut sua, vllo pacto vnquam credat. Intaminati honores, puri,

nulla labe vitiorum inquinati, labes autem eorum fuisse intelligitur, qui honores sint adepti. Secures, primorum Romæ magistratuum erant, vti anteà indicatum, has ponebant ciues, quando abdicabant. Aura popularis, arbitrium, aut certè fauor populi; qui quia mutabilis admodùm est, nec fauor, neque arbitrium potest esse admodùm constans.

Virtus, recludens immeritis mori cœlum, negata tentat iter via, nouam aperit virtus, heroibus, perpetua vtique vita dignissimis, ad intima cœlorum adyta viam: cœtusque vulgares, & vdam spernit humum, fugiente penna, & cum iis, deserta vulgarium hominum multitudine, ocyùs è terra euolat.

Est & fideli tuta silentio merces, habet etiam laudem, mercedemque silentium: qui ergo cupiditates frænat, & linguam frænet necesse est, quo censeatur virtutum numeris omnibus absolutus, & verò loquacitas, fidei, quæ est virtus, mirum quantum contraria est, contraria item continentiæ, quæ virtutum omnium custos, & regula quædam, esse facilè potest.

Vetabo, qui Cereris sacrum vulgarit arcanæ, sub iisdem sit trabibus, fragilemque mecum soluat faselum; nolim ego in ea domo, aut in ea naui esse, in qua fuerit is, qui mysteria occulta Cereris publici iuris fecerit. A virginibus, & matronis tractabantur mysteria huiusmodi, à quibus viri omnes arcebantur. De his Fabul. 147. hunc in modum Hyginus: cùm Ceres Proserpinam filiam suam quæreret, deuenit ad Eleusinum Regem, cuius vxor Cothonea puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem lactantem simulauit: hanc Regina libens nutricem filio suo recepit: Ceres, cùm vellet alumnum suum immortalem reddere, interdiu lacte diuino alebat, noctu clàm igne obruebat: itaque præterquam solebant morta-

les, crescebat: & sic fieri cùm mirarentur parentes, eam obseruauerunt: cùm Ceres vellet in ignem mittere, Pater expauit; illa irata Eleusinum exanimauit, at Triptolemo alumno suo æternum beneficium tribuit, nam currum draconibus iunctum tradidit, quibus vehens, orbem terrarum frugibus obseuit. Postquam domum rediit, eum Peleus pro benefacto interfici iussit: sed re cognita, iussu Cereris, Triptolemo regnum dedit, quod ex patris nomine Eleusinum nominauit, fierique sacra instituit, quæ Thesmophoria Græcè dicuntur. Ita Hyginus. Dicuntur item Eleusina, aut Eleusinia sacra. Sed cur thesmophoria, inquies, & cur adeò arcana? Thesmophoria, inquam, per quandam excellentiam, ni fallor, à θεσμὸς, & φέρω; est autem θεσμὸς, lex non scripta, mos vetus, ritus sacrorum diuinitus instituus: arcana verò, vt putabit minimè malus aliquis, ad conciliandam venerationem; ea enim de causa, in Ægypto, characteribus vulgo ignotis vtebantur Hierophantæ, sed cùm Dij veterum flagitiosissimi essent, & sacra eorum execranda penitùs, quid mirum si ab iis tegerentur, qui necdum pudorem omnem exuerant? Et certè Theocriti fatetur interpres adamatum à Cerere Minois filium Iasionem, eiusque cum ea stuprum pertinuisse ad mysteria hæc, quæ si virgines euulgassent, præclarum Deæ facinus æternæ cachinnantium Iuuenum propinassent luculenter memoriæ.

Phaselum soluere, est nauigium, sublatis anchoris, immittere mari: nam phaselus est nauigij genus, & quidem velocissimi, si poetæ antiqui attenditur carmen, vbi ait: *Phaselus ille, quem videtis hospites, ait fuisse nauium celerrimus.*

m Sæpe Diespiter neglectus, incesto addidit integrum, contingit haud semel, vt cum impiis, à Deo

plectantur etiam pij; cum sontibus, insontes: hinc noxium bonis, malorum consortium. Diespiter, Iupiter; quasi, diei pater, inquiunt aliqui: Dixerim ego, quasi, Deus Pater: nam à Poetarum Latinorum coryphæo appellatur Pater omnipotens. Enim verò Iupiter, Græcis, communiter, Ζεὺς; Bœoticè Δεὺς; ex quo facilè Latina vox, Deus, cui accesserit altera vox, Pater, honoris ergò, vnde coaluerit hoc nomen contortum, Diespiter, Deus Pater, vbi diximus, vel certè Deus Iupiter, summus scilicet apud veteres Deus, cuius erat hominum castigare flagitia. Neglectus, quippe offenditur, si iaceat eius cultus, quamvis nullum aliud grauius crimen admittatur: si autem quis naturæ leges prætereà violauerit, vt violat, qui incestu se polluit; tum verò expediuntur flagella, & multatur pro meritis reus. Integer, hoc loco est castus, incesto nempe oppositus.

Raró antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo, ferè semper culpam sequitur pœna: si quæras, cur non semper? Ne quis rerum ignarus existimet, nullam esse ab hac vita breui admodùm, caducaque, iustitiam, inquit Doctor Ecclesiæ Augustinus: quemadmodùm enim, non quidquid rectè fit, præmium accipit in præsenti; sic profectò nec supplicium, quicquid perperam fit: quanquam, si rectè dispicimus cuncta, raró accidit, vt careant omni præmio boni, malive supplicio; sed quia oculis corporis non subjiciuntur mortalium animi, non planè percipimus quidquid geritur coràm: sinus enim latentes pectorum malignè penetramus. At nota lepidam Poetæ metaphoram; pœnæ, tanquam rei animatæ, tribuit pedes, quibus hominem scelestum consequi possit; ait autem hos pœnæ pedes vegetos, & valentes esse, raró infirmos, ac debiles raró pœ-

nam propterea claudicare, periculum enim foret, ne claudam scelestus effugeret.

ODE III.

IVstum, & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ;
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas;
Quos inter Augustus recumbens,
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem Bacche pater tuæ
Vexere tigres indocili iugum
Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocuta conciliantibus
Iunone Diuis: Ilion, Ilion,
Fatalis, incestusque Iudex,
Et mulier peregrina vertit
In puluerem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi,

Castæque damnatum Mineruæ,
Cum populo, & duce fraudulento.
Iam nec lacænæ splendet adulteræ
Famosus hospes, nec Priami domus
Per iura, pugnantes Achiuos
Hectoreis opibus refringit;
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit: protinus & graues
Iras, & inuisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus, inter sæuiat Ilion,
Romamque, Pontus; qualibet exules
In parte regnanto beati,
Dum Priami, Paridisque busto,
Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ; stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis:
Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro;
Quà tumidus rigat arua Nilus.
Aurum irrepertum, & sic meliùs situm,
Cùm terra celat, spernere fortior,
Quàm cogere humanos in vsus,

Omne ſacrum rapiente dextra.
Quicunque mundi terminus obſtitit,
Hunc tangat armis, viſere geſtiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ, pluuiique rores.
Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pij,
Rebuſque fidentes, auitæ
Tecta velint reparare Troiæ.
Troiæ renaſcens alite lugubri
Fortuna, triſti clade iterabitur,
Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis, & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus,
Auctore Phœbo, ter pereat, meis
Exciſus Argiuis; ter vxor
Capta, virum, pueroſque ploret.
Non hæc iocoſæ conueniunt lyræ:
Quò Muſa tendis? deſine peruicax
Referre ſermones Deorum, &
Magna modis tenuare paruis.

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum, appellat Poeta hominem, æquitatis, & conſtantiæ amantem: non ciuium ardor, praua iubentium, non vultus inſtantis tyranni, mente quatit ſolida; quem nec tumultus populi, nec minæ principis, à ſemel ſuſcepto conſilio dimoueant: neque Auſter, dux inquieti turbidus Adriæ, nec maris tempeſtates: nec fulminantis magna Iouis manus; imò nec vibrata à cœlo fulmina: Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient

ruinæ; nam si cœlum ipsum ruat, ruinam eius excipiet intrepidus.

Iustus, propriè, & strictè qui iustitiam colit, latè autem, qui quamlibet virtutem, sed ita vt vitio nulli obnoxius sit. Propositi tenax, ab omni leuitate alienus, cuiusmodi profectò sapiens, quem & sanctum appellat Ecclesiasticus, quando appositè ad rem nostram, 27. cap. ait: Homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol; nam stultus, sicut Luna, mutatur. Ciuium ardor, accensum ad res malas studium. Tyrannus instans, viro iusto imminens, impellensque ad crimina. Mente solida quatere, proexcutere; dejicere de sententia, percellere metu, ad contrarium vitæ institutum adigere. Auster, dux inquieti turbidus Adriæ, ventus excitans procellas in mari, Adriatico maximè, cui adiacet poetæ huius nostri patria; dux autem, quia ducis est imperare, flectereque pro arbitrio. Fulminans Iupiter: neque enim discrimine nullo credebatur à veteribus cuicunque Deo fulmen. Fractus orbis, superior, puta celestis, de cuius futuro casu aliquid poterant inaudiisse, qualis tamen futurus esset, ignorabant, etenim Sibyllæ, quæ nostra promulgarunt vtcunque mysteria, capi tantùm ab iis poterant, quibus aliunde oracula earum beneficio diuino innotuerant: nam eò non pertingunt humana ingenia.

Hac arte, Pollux, & vagus Hercules, innixus, arces attigit igneas, hac ratione, immortales ex mortalibus facti, Pollux & Hercules: quos inter, Augustus recumbens, purpureo bibit ore nectar, quorum felicitatis est iam particeps, adhuc viuens Augustus.

De Polluce, & Castore, Pollucis fratre, actum à nobis, lib. 1. hîc addendum videtur, quòd facta eorum mentione, notat noster Cornelius, in cap. 28. Act. Apost. his verbis: Castor, & Pollux habiti sunt

Dij maris, ideóque in nauibus picti à nautis, in tempestate inuocabantur: iam nautæ Christiani, post B. Virginem, quæ est stella maris, inuocant S. Paulum, qui die ac nocte, in profundo maris fuit, S. Clementem, in mari mersum, S. Nicolaum, S. Franc. Xauerium, qui perpetua quasi nauigatione, immensa Oceani spatia, à Lusitania in Indiam, Molucas, Iaponiam, & Chinam emensus, & remensus est, & S. Hermetem, vel S. Telmum, sic enim vocatur à nautis; Telmus, vel Helmus, à loco, qui proprio nomine dictus fuit Petrus Consaluus, Ordinis S. Dominici, & ad cœlos migrauit anno Domini 1246. Cuius vitam, & miracula conscripsit Ferdin. Castill. part. 1. hist. S Dominic. lib. 2. cap. 23. 24. & 25.

Hercules Vagus, quòd loca diuersa peragrarit, monstra diuersa confecturus. Arces igneę, cœli, ostentantes astra, quæ plurimi ex Antiquis credebant esse ignea: ibi autem collocabant Deos suos, hominesque nonnullos prætereà, ob eximiam virtutem in eorum album, ritu patrio, relatos: horum potus erat nectar; quod fingitur bibere Augustus, necdum mortuus, per nouam assentationem, Romæ deinceps crebrò sanè vsurpatam.

Bacchus apotheosin etiam promeritus dicitur, cuius currum, nam curru ea numina vti solita erant, indomitæ alioqui, trahebant vltro tigres: promeritus item Romulus, equis Martiis Tartaro ereptus. Iam ideò pater Bacchus, qui & Liber pater sæpius; quòd potum optimum præstet: atqui potu æquè ac cibo alimur, tigribus Bacchus vehitur mansuetis, & id vulgo ad vini naturam referunt; retulerim ego potiùs ad victoriam de Indis reportatam, vnde triumphans adduxerit animalia hæc; nam quid simile haud semel à belli Ducibus factum. Fugit Acheronta Martis equis Romulus; quia qui, vt ferebat com-

munis mortalium sors, descensurus ad Inferos erat, feliciter ascendit ad Superos, ita enim nugatur Horatius, & mutato nomine vocatus fuit Quirinus, quod linguâ Sabinâ idem atque hastatus Latinâ, ob regiam dignitatem, opinor, aptè hasta designatam: siquidem antiquis Regibus pro sceptro fuisse videtur hasta bellica.

Gratum elocuta consiliantibus Iunone Diuis, genus ducebat Romulus à Troianis, quibus infensa erat Iuno; ne igitur quis existimet creatam ab ea candidato diuinitatis molestiam, ait poeta coactum in cœlo concilium, vbi sic prolocuta sit: Ilion, Ilion, fatalis, incestusque Iudex, & mulier peregrina vertit in puluerem: euersa quidem fuit Troia, sed causa euersionis conferenda in Paridem, & Helenam: ex quo destituit Deos mercede pacta Laomedon, mihi, castæque damnatum Mineruæ, cum populo, & duce fraudulento: conferenda similiter in Auum Paridis Laomedontem Regem, qui pactam diis mercedem dare posteà noluit: iam tunc enim & vrbis, & populi excidium Minerua mecum decreuerat, nequis arbitretur nos vno Paridis offensas iudicio.

Ilion, siue Ilium, Troia, cui appellationem hanc Ilus, Trois Regis filius, contulit, à quo fuit instaurata: nam Dardanus, Iouis filius, iam antè fundauerat. Iudex fatalis, & incestus, Paris: Iudex quidem, quia cùm de pulchritudine certarent coram eo, Minerua, Iuno & Venus, secundum Venerem sententiam dixit: fatalis deinde, quia exitialis, & velut à fatis datus: incestus denique, quia turpi, cum Helena, Menelai vxore, adulterio pollutus fuit. Mulier peregrina, Helena ipsa, vel sponte, vel vi, ex Europa in Asiam abducta. Laomedon, primùm quidem Neptuno, & Apollini, qui muros Troianos extruxerant, posteà tamen etiam Herculi fregit fi-

dem; cùm enim Hesione, Laomedontis filia: iam saxo alligata foret, à ceto deuoranda, transeuntis illac Herculis fortitudine liberata est, sed negatum fortitudinis huius præmium. Mihi, castæque damnatum Mineruæ; damnatum à me, & à Minerua, siue Pallade, Ilium, propter illatam tot Diis iniuriam.

Iam nec Lacænæ splendet adulteræ famosus hospes; iam diu extinctus est Paris: nec Priami domus periura pugnaces Achiuos Hectoreis opibus refringit: nullus Hector virtute sua sustentat collapsam funditus Priami Regis familiam: nostrisque ductum seditionibus bellum resedit, confectum est tandem bellum, quod nostra dissidia in decimum annum produxerant: protinus & graues iras, & inuisum nepotem, Troica quem peperit sacerdos, Marti redonabo: quare in gratiam Martis filij, absistam continuò ira, & Romulum haud inuita recipiam: illũ ego Lucidas inire sedes, ducere nectaris succos, & adscribi quietis ordinibus patiar Deorum; dum relatus in numerum Cœlitum fuerit, venerit ad nos, & vnà epulis accubuerit.

Adultera Lacena, Ledæ filia Helena, de qua priùs, Lacedæmone nupta, eiusdem vrbis Regi Menelao, à quo ad Paridem hospitem turpiter profectò defecit. Hector vnde Hectoreus, Paridis frater, eo melior longè, cuius vnius sapientia, & robore, Troiana res diutiùs stetit. Achiui, & Achæi, Græci, ab Achaia, Græciæ regione amplissima, inter Ægeum, & Ionium mare posita; huius ciuitas primaria Corinthus. Bellum ducitur, quando geritur diu, neque citò abrumpitur: residet verò, dum componitur & sedatur. Nepos Iunonis Romulus, quia filius Martis, Mars enim, ex Ioue, Iunoneque procreatus: inuisus tamen, quòd matrem haberet Iliam, Numi-

toris filiam, Procæ neptem, Auentini Syluij pronepterm, à Troianis oriundam; hinc vocat poeta Troicam, & sacerdotem, quòd Amulius, Numitore fratre pulso, regnum occupasset: interfecisset Lausum filium, & filiam Rheam, siue Iliam virginem Vestalem fecisset. Lucidæ sedes, cœli, vbi tot accensæ faces. Succos ducere, haurire, sed per otium, ac lentè, Gallus diceret: *Boire à longs traits.* Propter suauitatem in potu deprehensam. Ordines Deorum varij, siquidem præter maiorum, & minorum gentium Deos, erant Semidij, seu Heroes, quos aliqui volunt fuisse Indigetes; quamvis aliis Indigetes sint iidem ac Dij patrij, verùm pro Diis patriis plerumque colebantur Heroes.

Dum longus inter sæuiat Ilion, Romamque pontus; modò vasta illa intercapedo maris, Troiam veterem à Roma seiungat: qualibet exules in parte regnanto beati; nolim impedire quo minus extra solum patrium Troiani, aut Romani potiùs, à Troia olim profecti, latè imperent: dum Priami, Paridisque busto, insultet armentum, & catulos feræ celent inultæ, modò incultus sit, & subiectus bestiis locus vbi sepulti fuere Priamus, & Priami filius, Paris: stet Capitolium fulgens, triumphatisque possit Roma ferox dare iura Medis, habeant nepotes Romuli fana sua, & sub iugum hostes procul positos mittant.

Dum longus inter sæuiat Ilion, Romamque pontus: quia Roma in Italia est, Troia vetus in Phrygia; clarum est, inter eas vrbes, Mediterraneum mare interiectum esse totum. Exules appellat Poeta Romanos, ob Æneam, ex Phrygia profugum; cuius filius Ascanius, Albæ longæ conditor; vnde Romulus, de quo antè. Bustum, tumulus; huic armenta insultant, quando calcant, calcant autem, quando

circumiecti agri, in solitudinem redacti; euersæque tumulo impositæ priùs moles. Feræ inultæ catulos celant, quando, vel enata è tumulo virgulta in quibus lateant feræ; vel cauernæ in ruderibus relictæ, ad quas eædem feræ, cum fœtibus suis, interdum confugiant, & quidem inultæ, à nullo molestiam passæ, tametsi sepulchra violant, quæ Antiqui volebant sacra esse: id verò non obscurum desertissimæ solitudinis indicium.

Horrenda latè nomen in vltimas extendat oras, quà medius liquor secernit Europem ab Afro, quà tumidus rigat arua Nilus; terrore sui nominis percellant iidem Mauros, & Ægyptios, aliasque barbaras nationes: Aurum irrepertum, & sic meliùs situm, cùm terra celat, spernere fortior, quàm cogere humanos in vsus, omne sacrum rapiente dextra; maius autem exhibebunt animi robur, si opes contemnant generosè, quàm si eas vndique, per ipsa etiam sacrilegia, corradant: quicunque mundi terminus obstitit, hunc tangat armis, visere gestiens, qua parte debacchentur ignes, qua nebulæ, pluuiique rores, & quia certos natura constituit in orbe limites, quos præterire est nefas, glacialem videlicet, atque torridam zonam, ad vtramque victores perueniant.

Horrendam Romam, seu Romanos potiùs, bellum variis gentibus inferentes, ideò dicit Horatius, quia cùm iis resistere posset nemo, trepidabant audito Romanorum nomine plurimi, & cum horrore quodam, eorum aduentum expectabant. Qua medius liquor secernit Europen ab Afro; fretum Gaditanum, barbarè nunc nobis: *le destroit de Gibraltar*; vbi non longus, sed nec facilis, ex Europa in Africam traiectus. Nilus, Ægypti arua rigat, tunc tamen duntaxat, quando tumidus; tumidus autem nun-

quam, nisi quando solemnes, in Æthiopia interiori, pluuiæ, quæ quotannis ibi, per tempus aliquod, copiosæ, ac perennes, quanquam non idem tunc earum perpetuò modus, ideò nec idem etiam in Ægypto Nili tumor. Aurum irrepertum, est aurum adhuc latens in terræ visceribus, proindeque nondum à fossoribus inuentum: meliùs situm, cùm terra celat; quandiu autem ibi est, meliùs ei videtur esse, quàm cùm inde fuit erutum; tunc enim, quod alter poeta dolet, malorum irritamentum est. Spernere fortior; fortiores erunt milites, in spernendo, siue dum spernent aurum: quàm cogere humanos in vsus, omne sacrum rapiente dextra, quam dum rapaci manu vel ex fanis ipsis auferent. Mundi terminus, zona torrida, in medio posita, & nobis Europæis, altera glacialis, Polo Arctico subiecta videlicet: nam quæ ad Antarcticum attinet Polum, in sententia veterum, hîc attendi non debet, neque enim existimabant eò posse perueniri. Zona torrida ea est, in qua debacchantur ignes, id est, adeò vehementes sunt Solis radij, vt videantur esse ignei, & amburant omnia; sic nempe contingeret, nisi obstaret prouidentia, quæ per totam fermè zonam illam ingentia sparsit flumina, ventos produxit secundos, & vbi maior æstus ingruit, opportunas planè pluuias; quibus efficitur, vt contra quam putarent Cosmographiæ ignari, amœna sit, plerisque in locis, ea orbis pars, & scateat incolis, quibus destituta non est glacialis Arctica, tametsi non ita frequentibus: bene autem ei poeta, nebulas, rorésque pluuios tribuit, nempe quemadmodùm ego interpretor, caliginem, & niues: nam ex nebulis caligo, quæ ibi penè perpetua; hinc nautæ diuelluntur à se sæpius, dum hi perspicere nequeunt, quem illi teneant cursum: niues autem ex pluuiis, ob frigus ferè perpetuum, quo

in glaciem aqua, & in niuem concrescit.

Sed bellicosis fata Quiritibus hac lege dico, ego quidem fausta nuntio, Romanis certò euentura: ne nimium pij, rebusque fidentes, auitæ tecta velint reparare Troiæ: sed si pietate aduersus maiores incitati, elatique secundis rebus, instaurandam esse dirutam à me Troiam putauerint: Troiæ renascens alite lugubri fortuna, tristi clade iterabitur, id tentauerint frustrà: ducente victrices cateruas coniuge me Iouis, & sorore; nam victorem exercitum rursus eò immittam. Ter si resurgat murus aheneus, autore Phœbo; ter pereat, meis excisus Argiuis, ter vxor capta virum pueros que ploret; imò quamuis Apollo ipse operam suam conferret ad muros iterum ac tertiò extruendos, eos toties euertent auspiciis meis Græci, vrbemque infelicem diripient.

Murus aheneus iure nuncupatur ille, qui à tot heroibus, per decem annos, obsessus, perrumpi non potuerit: ideóque fingitur à diis, Neptuno, & Apolline, constructus, vti recitat Ouidius, Metamorph. lib. 11. Argiui & Argoi, Græci, qui nonnunquam etiam, Argolici; nam Argos, fuit ciuitas Argolidis, Argolis pars Achaiæ, Achaia prouincia Græciæ. Iocosa lyra, carmen lyricum, quod ad res graues, & serias, non videtur aptum satis, tametsi contrarium demonstrat apertè Horatius, quando maximè fundit Alcaicum, cuius inuentor Alcæus grauissimus fuisse perhibetur.

ODE IV.

DEscende cœlo, & dic, age tibia,
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc manis acuta,
Seu fidibus, citharave Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis,
Insania? audire, & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ subeunt, & auræ.
Me fabulosæ vulture in Apulo
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumque somno,
Fronde noua puerum palumbes
Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti,
Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, & vrsis; vt premerer sacra
Lauroque, collataque myrto,
Non sine Diis animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Præneste, seu Tybur supinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.
Vestris amicum fontibus, & choris,

Non me Philippis versa acies retro,
Deuota non extinxit arbor,
Nec sicula Palinurus vnda.
Vtcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem nauita Bosphorum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrij viator.
Visam Britannos, hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inuiolatus amnem.
Vos Cæsarem altum, militia simul.
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium & datis, & date
Gaudetis almæ: scimus vt impios
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaque tristia,
Diuosque, mortalesque turbas,
Imperio regit vnus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Ioui
Fidens iuuentus, horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhœus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu

Quid Rhœcus, euulſiſque truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra ſonantem Palladis ægida
Poſſent ruentes? hinc auidus ſtetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno, &
Nunquam humeris poſiturus arcum,
Qui rore puro Caſtaliæ lauit
Crines ſolutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque ſiluam,
Delius, & Patareus Apollo.
Vis conſilij expers mole ruit ſua:
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius; iidem odere vires,
Omne nefas animo mouentes.
Teſtis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus ſagitta.
Iniecta monſtris terra dolet ſuis,
Mœretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum; nec peredit
Impoſitam celer ignis Ætnam:
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Cuſtos; amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

Calliope vna è Muſis, à vocis bonitate appellationem ſortita; nam καλλίων, eſt pulchrior, loquendo propriè, & ὀπὶ, vox: ſed pulcritudo vocis, eſt

bonitas vocis. De cœlo rogatur vt descendat, quia Musæ agunt etiam in cœlo. Regina porrò Calliope, quia Musarum præstantissima, ex eo fortassis, quòd cum Musæ cantui præsint, inter cantores palmam ferat; qui præstantissima est voce. Dic, age, tibia, ordo rectus: age, dic tibia: longum melos, longum carmen μέλ☉ enim inter alia, significat carmen: nec breuis profectò hæc Ode.

Auditis? Poeta sodales alloquitur, quasi extra se raptus. Insania, furor poeticus. Luci pij, luci sunt piorum, in quibus videlicet habitant, post obitum, homines, eximia pietate, vitæque integritate præditi: hos lucos, & aquæ subeunt, & auræ; amœnos reddunt, riui limpidi, & flatus ventorum suaues.

Me fabulosæ vulture in Apulo, altricis extra limen Apuliæ, ludo fatigatumque somno, fronde noua puerum palumbes texere; cùm necdum ex ephebis excessissem, & à ludo fatigatus dormirem aliquando in monte Apuliæ, cui nomen est Vultur, palumbi me recentibus arborum foliis operuere. Sic nempe fabulatur Horatius, idcircò palumbos illos iure vocat fabulosos. At si Vultur in Apulia est, quî potest, inquies, extra limen Apuliæ esse? Responsio facilis: non extra limen Apuliæ simpliciter, verùm extra limen Apuliæ altricis, hoc est, eius partis Apuliæ, in qua educatus poeta fuit; ea enim duntaxat ab eo altrix, siue nutrix appellanda.

Mirum quod foret omnibus, quicunque celsæ nidum Acherontiæ, saltusque Bantinos, & aruum pingue tenent humilis Ferenti, vt tuto ab atris corpore viperis, dormirem, & vrsis, vt premerer sacra lauroque, collataque myrto, non sine Diis, animosus infans; Mira autem res visa finitimis populis, nominatim Acherontinis, Bantinis, & Frentanis, diuino munitum auxilio puerum, inter immanes bel-

ſuas illæſum quieſcere, vnis lauri, ac myrti frondibus tectum. Acherontia, Lucaniæ oppidum, in colle arduo poſitum; hinc ſalsè Horatius nidum vocat. Bantia, oppidum Lucaniæ alterum, de quo Plinius, eius incolæ, Bantini. Ferentum, oppidum item, remotum haud procul, cuius populi, Ferentani, & Frentani. Porrò Lucania, modò dicta, inter Apuliam, Calabriamque ſita eſt, vel à luco, vel à luce, vel certè ab vtroque, nominata; & primùm à luco, quòd qui eò venere primi, conſederint in luco: à luce deinde, quòd habeat excelſa loca plurima, ideóque plurimùm lucida. Myrtum collatam intellige à palumbis, quos propterea miſerit Venus, quia ei à veteribus dicati, dicata etiam myrtus; Laurus autem Apollini: vtraque Horatium preſſit, quia foliorum vtriuſque magna copia in eum coniecta eſt.

Veſter, Camœnæ, veſter, in arduos tollor Sabinos, ſeu mihi frigidum Præneſte, ſeu Tybur ſupinum, ſeu liquidæ placuere Baiæ: interdum ad Sabinos me confero, interdum Præneſte, interdum etiam Tybure, vel Baiis, vitam dego; at vbicunque tandem ſim, me clientem Muſarum profiteor.

Præneſte, inquit Stephanus, Italiæ vrbs, nomen habuit à Præneſto, Latini filio; Vlyſſis & Circes, nepote; quanquam Virgilius, aliique, conditum ſcribunt à Cæculo, Vulcani filio, latrone quondam inſigni: huius mater, cùm ad focum ſederet, ex inſiliente in gremium ſcintilla, fetum continuò, vt quidem eſt mentita, concepit, quem editum in lucem poſteà, ob paruitatem oculorum, dixit Cæculum. De Tybure, & Baiis, alibi.

Veſtris amicum fontibus, & choris, quia choros Muſarum, & fontes iiſdem ſacros, veneror: non me Philippis verſa acies retro, deuota non extinxit arbor, nec ſicula Palinurus vnda, idcirco, neque me

Philippica clades, neque casus funestæ, in Sabinis, arboris, neque ad Palinurum, Lucaniæ promontorium, tempestas coorta, capitis perdidit.

Fontes Musarum nobilissimi, Castalius, à Castalia virgine, quæ Apollinem fugiens, ex monte Parnasso se præcipitem dedit, ibique in fontem mutata est, & Caballinus, qui Græcis Hippocrene, Pegasi equi vngulâ elicitus, in Helicone, Bœotiæ monte. De choris nihil adiungere attinet, cùm enim carmina, & cantus, ament Musæ; choros etiam necesse est ament. In pugna Philipphica fugatus, cum Bruto, Cassioque, Horatius, non sine periculo sanè maximo. De arbore caducâ, scriptum aliàs, deuota nunc asseritur, seu execrationibus ab Horatio impetita. Palinurus Iasij filius, nauis Æneæ gubernator, cum de puppe, somno grauis, in mare decidisset, iuxta quoddam promontorium, vrbi Veliæ vicinum, eidem nomen suum affixit moriens: quia verò naufragium ibi penè passus est Poeta, ideo facit mentionem eius in præsens.

Vtcunque mecum vos eritis, libens insanientem nauita Bosphorum tentabo, & arentes arenas littoris Assyrij Viator; dummodo mecum sitis, mihique opitulemini, vestro fretus præsidio, non dubitabo nauigare vsque ad Cimmerios, & extremas Asiæ solitudines peragrare. Tentare Bosphorum, est periculosam illam nauigationem suscipere ad Bosphorum vsque Cimmerium, magis remotum à Romanis, & minùs iis notum. Assyriæ latè sumptæ fabulosa, & arida loca sunt, per quæ incedunt cateruatim viatores etiam nunc, aduersus quotidiana grassantium Arabum latrocinia: si quis tamen consistere in littoribus velit, quòd ea hoc loco appellet Horatius; littora Syriæ cogitet, & Syriam; partem faciat Assyriæ, quamuis alij Assyriam, cum Babylo-

nia, Palæſtina, & Phœnice, limitibus Syriæ claudant.

Viſam Britannos hoſpitibus feros, & lætum equino ſanguine Concanum, viſam pharetratos Gelonos & Scythicum inuiolatus amnem; ferociſſimorum hominum fidei me committam, cuiuſmodi ſunt, vltra Galliam, Britanni, Cantabri, in Hiſpania, & in Scythia, Geloni. Feros hoſpitibus Britannos vocat, & meritò, nam eos barbarum in morem trucidabant; nec mirũ profectò, erant enimtunc barbari, quod idẽ hodie nonnulli etiam factitant, ad quos appellunt Europæi noſtri, ſi ejiciunt ſe in littus: inermes, & incauti, præſertim in extremis Africæ partibus, & in prouinciis quibuſdam Americæ, ſiquidem Aſia vbique ferè mitior eſt, ſi tamen loca excipias, vel nimio frigore horrida, vel nimio calore arentia; Europam ab hoc ſcelere deterret Chriſtiana Religio quæ tamen glaciata Borealium quorundam pectora necdum iniit, propterea illò malè tutus acceſſus.

De Concano, laborant Interpretes, quòd neque Concanum extra Hiſpaniam inueniant, nec audiant, in Hiſpania, vnquam equinum ſanguinem, aut ſolum, aut cum equino lacte, in menſam adhibitum, at adhibitum non dixit Horatius, ne igitur laborent: nam teſte Ptolemæo, Cantabriæ ciuitas, Concana eſt; Cantabria, regio Hiſpaniæ: iam Concanæ ciuis, Concanus, ideò & Cantaber, qui, Horatio teſte, lætus equino ſanguine eſt, non quia ex equi venis elicit, vt potet: ſed quia equum interfecit, vt immolet Marti; qui enim ſcripſere de veteribus Cantabris, id ab iis fieri ſolitum prodidere.

Geloni, pharetrati, vt & alij Scythæ, vel noſtra ætate hac; teſtes, omnium fortiſſimi, Tartari, & orti ex Tartaris, Turcæ. Scythicus amnis, non vnicus, celeberrimus tamen Europæque notiſſimus, Tanais,

qui eam ab Asia diuidit, vti ait, inter alios, Lucanus.

Vos Cæsarem altum, militia simul fessas cohortes abdidit oppidis, finire quærentem labores, Pierio recreatis antro; vos, ô Musæ, statim atque Augustus Imperator, belli studia deponens, copias suas in hybernis constituit, & quas laboribus agnouit exhaustas, locauit in coloniis, eum, in secessu amœno aliquo, poetica facultate mulcetis. Altus Cæsar, magni nominis, integritatis, dignitatis. Simul abdidit, idem ac, simul atque, aut simul vt, vel statim atque, abdidit. Pierium antrum, à Pieria, Macedoniæ regione, vbi habitæ reuerenter olim Musæ, sed pro secessu quolibet opportuno hîc vsurpatum.

Vos lene consilium & datis, & dato gaudetis almæ, vbique benignitati student amantes litterarum, reliquisque mortalibus, quasi parentes filiis, à tumultu, & iurgio aliena subministrant consilia, & aliunde subministrata, vt æquè profutura, æqualiter probant.

Scimus vt impios Titanas, immanemque turmam, fulmine sustulerit caduco, qui terram inertem, qui mare temperat ventosum, & vrbes, regnaque tristia, Diuosque, mortalesque turbas, imperio regit vnus æquo; nouimus reportatam à Ioue de terræ filiis victoriam. Terræ filij, gigantes impij, qui quòd viribus multum, sed prudentia parum possent, facilè sunt superati. Fulmen caducum, vibratum è cœlo. Terra iners, eodem semper desidens loco. Regna tristia, Inferi, nec necesse est vt ibi sint vrbes: nam vrbes, de quibus poeta loquitur, seorsum capiendæ sunt, vel ad terram, & mare potiùs, nam vrbes vtrobique reperiuntur, quàm ad tristia regna illa, referendæ.

Magnum illa terrorem intulerat Ioui, fidens iu-

..entus horrida, brachiis, fratresque tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo; erat car timore percelleretur Iupiter; siquidem aggrediebantur ætate floridi hostes, horridi vultu, multis brachiis instructi, materni sanguinis necessitudine coniuncti, tanti verò roboris, vt montes montibus negotio nullo imponerent. Tendentes imposuisse, contendentes imponere, vt sic sibi viam ad cœlum oppugnandum aperirent. Pelion, & Ossa, duo Thessaliæ montes, quorum alterum aiunt aliqui à gigantibus, seu Titanibus istis, fuisse iniectum in alterum; at de Olympo id in præsens affirmat Horatius, est autem Olympus mons inter Thessaliam, Macedoniamque altissimus, qui propterea fertur cœlum attingere, qui & pro cœlo nonnunquam accipitur.

Sed quid Typhœus, & Validus Mimas , aut quid Minaci Porphyrion statu, quid Rhœcus, euulsisque truncis Enceladus iaculator audax contra sonantem Palladis ægida possent ruentes? Quasi diceret: imbelles sunt mortalium hominum conatus, Deos immortales petentium. Typhoeus, Typhœus, vel Typhon, quem dictum appaiet à τυφόω, fumo infesto, vel eneco; item, effero, insolentem reddo: nempe τύφος, seu τῦφος, est fumus; item, iactantia, ostentatio: Typhoeus, inquam, Titani, ac Terræ filius, à Ioue quidem fulminatus affirmatur, priùs tamen, scribitur ab Ouidio, lib 5. Matamorph. non Deos tantùm reliquos, sed & Iouem ipsum, ad Ægyptias latebras compulisse, vbi præ metu Mercurius in ibidem abierit, in piscem Venus, Iuno in Vaccam, in felem Diana, Bacchus in caprum, in coruum Apollo, & Iupiter in arietem. Mimas, Typhoei frater, vt & Porphyrion, cuius status, hoc est, statura, ideò minax, quia gigantæa. De Rhœco dixi suprà.

suprà. Enceladum Virgilius lib. 3. Æneid. Monti Ætnæ subiectum tandem ait. Ægis, primùm Iouis, posteà Mineruæ, seu Palladis Clypeus, de quo anteà ego.

Vulcanus auidus; pugnæ scilicet: etenim qui naturæ igneæ, & naturâ pugnaces. Ros Castaliæ, Castalij fontis, de quo actum est, aqua. Lauit, præsentis temporis, à lauo lauis; idem quod, lauo lauas. Soluti crines Apollini, seu Phœbo, præcipuè conueniunt, ob Solis radios, totum orbem collustrantes, quorum symbolum crines ij soluti. Apollo Delius, quia in Delo natus insula, & Pataræus, quia Patara, ciuitas Lyciæ est, vbi dabat responsa, vnde Statius: *Phœbe parens, seu te Lyciæ Pataræ niuosis exercent dumeta iugis.* Ex quo intelligis dumeta Horatiana. Nempe huic Lyciæ ciuitati contigerit, quod contigit oppido Latij Tusculo, quod Itali nunc appellant lingua patria, *Fraschati: perche fù edificato di nouo, nelle frasche*: inter dumeta enim de nouo est constructum.

Vis consilij expers, mole ruit sua; vbi roboris dolium est, & sapientiæ gutta duntaxat, ibi nihil, nisi humile, & abiectum. Vim temperatam Dij quoque prouehunt in maius: iidem odere vires, omne nefas animo mouentes; amant Superi homines, cupiditatum suarum dominos, & mancipia scelerum odio acerbissimo prosequuntur.

Gyas, legendum, non gigas, quemadmodùm hoc loco legit Bondius, interpretaturque Briareum; perinde quasi nullus alius è gigantibus esset centimanus: cur ergo, hac ipsa Ode, vniuersa eorum acies brachiis horrida nuncupatur? quem enim horrorem incuterent in bellatore brachia duo? fortassis ita distingues, vt anteà nos quoque distinxisse visi sumus, dicesque; Iuuentus horrida, brachiis fidens?

at præterquam quod non planè necessarium est sic distinguere; cur gigas quisque potiùs, quàm quiuis alius, brachiis fideret, si non foret instructus pluribus, quàm alius quiuis? Adhæc, Ægæon à Virgilio, Æneid. 10, ita depingitur:

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribusque arsisse, Iouis cum fulmina contra,
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses;
Sic toto Æneas desæuit in æquore victor.

Typhon denique, ab Hygino, Fabul. 152. centum capita draconum, ex humeris enata, prætulisse traditur, cum Diis pugnaturus, an quis totidem negabit ei brachia? enimverò monstrosi semper theomachi gigantes habiti sunt; nihil igitur litterariæ reip. incommodi ex eo, quòd singuli centum brachiis instruantur ab Horatio, qui cerberum, tricipitem vulgo, instruxit centum capitibus, vti vidimus.

Orion, tentator propterea Dianæ, quòd eam voluerit ad stuprum allicere: quare scorpium illa immisit, à quo interfectus est, vt Palæphatus ait: Hyginus tamen, Fabul. 195. docet, à Diana ipsa, audax facinus vlciscente, sagittis confixum; quod iam antè Homerus docuerat, & confirmat in præsenti Horatius.

Iniecta monstris terra dolet suis, mœretque partus fulmine luridum missos ad Orcum; non potest non summo dolore terra confici, dum sentit in visceribus suis filios, afflatos fulmine, & in Tartaro cruciatos. Nec peredit impositam celer ignis Ætnam, cùm eorum præsertim æterna supplicia sint: nam Ætna nunquam igne absumitur, ideóque continuum est multorum ex iis onus: Incontinentis nec Tityi iecur relinquit ales, nequitiæ additus custos; assident semper Tityo vultures, qui iecur dilanient:

amatorem trecentæ Pirithoum cohibent catenæ, tot vinculis oneratus est Pirithous, apud Inferos, vt nulla ei spes elabendi relinquatur.

Gigantes monstra dicti, ob horribiles formas, quibus præditi finguntur. Iniecta iis terra; nam in intima eius penetralia è cœlo deturbati. Pœnarum incrementum maximum tremenda illa æternitas, quam cogitant quidem omnes, sed capit mortalium hominum nemo; hanc probauit ex fabulis aliquot poeta, sed verè nunc sentit. Ætna ignibus manifestis accenditur, & motibus concutitur identidem manifestis: hos motus ad conatum gigantum, graue id onus excutere cupientium, referunt otio abutentes Mythologi, quos possent referre ad clausos in subterraneis receptaculis halitus, exitum quaquauersus molientes.

De Tityo 5 nihil afferri elegantius potest, quàm quod habet Virg. Æneid. 6.

Necnon & Tityum, terra omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulas, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

Causa supplicij petulantia est, etenim Tityus Latonæ vitium obtulit, hinc ab Apolline, Latonæ filio, detrusus in Tartarum, vulturi traditus fuit, perpetuò laniandus, vel certè, vt Hyginus vult, serpenti, quod notatum alibi est.

Pirithous, Ixionis filius, Lapitharum Rex, cum amico Theseo, profectus ad Inferos, vt raperet Proserpinam, discerptus à Cerbero fuit; aut, vt alij sentiunt, quibus annuit Horatius, Plutonis iussu, in vinculis, cum amico detentus; ambo tamen ab Hercule, illuc descendente, liberati; quanquam Vir-

gilius, lib.6.Æneid. Videtur apertè refragari, quando ait: *sedet, æternumque sedebit infelix Theseus.* Quid quod eodem libro, Ixioni coniungitur Pirithous, & ambo, æquè ac Theseus, in Inferis collocantur? At mirum id haudquaquam fuerit ei, qui obitum vtriusque attenderit; viui enim priùs eò venisse narrabantur, vnde nunquam egrediuntur mortui.

ODE V.

COelo tonantem credidimus Iouem
Regnare, præsens diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, grauibusque Persis.
Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit, & hostium,
Prô curia, inuersique mores!
Consenuit socerorum armis,
Sub rege Medo, Marsus, & Apulus,
Anciliorum, & nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Ioue, & vrbe Roma?
Hoc cauerat mens prouida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahenti
Perniciem, veniens in æuum,
Si non periret immiserabilis
Captiua pubes: signa ego Punicis

Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde, dixit,
Derepta vidi; vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arua
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit; flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco;
Nec vera virtus, cùm semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerua plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic vnde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ coniugis osculum,
Paruosque natos, vt capitis minor,
A se remouisse, & virilem
Toruus humi posuisse vultum,
Donec labantes consilio patres
Firmaret autor, nunquam aliàs dato,
Interque mœrentes amicos

Egregius properaret exul.
Atqui ſciebat quæ ſibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimouit obſtantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quàm ſi clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Agnoſcitur Iouis regia poteſtas, ex tonitru, Augusti verò Cæſaris magnitudo, ex debellatis Perſarum, Britannorumque Principibus; id enim ſonant iſta: Cœlo tonantem credidimus Iouem regnare: præſens Diuus habebitur Auguſtus, adiectis Britannis Imperio, grauibuſque Perſis, quanquam, ſi verum amamus, non ita debellati tunc ij populi, vt partes propriè dictæ Imperij Romani eſſent, ſed cùm reuererentur Imperatorem, neque bellum cogitarent, videbantur commodùm aſſutæ laciniæ.

Mileſne Craſſi coniuge barbara turpis maritus vixit, & hoſtium, prô curia, inuerſique mores! conſenuit ſocerorum in armis, ſub rege Medo, Marſus, & Apulus, Anciliorum, & nominis, & togæ, oblitus, æternæque Veſtæ, incolumi Ioue, & vrbe Roma? Fierine potuit, vt Marſi, & Apuli, ſub Craſſo imperatore, militiæ noſtræ adſcripti, contemptis popularibus matronis, barbaras vxores duxerint; cum earum parentibus, ſoceris ſuis, quod ſummum Senatus, populique Romani probrum eſt, tota vita, militarint; & ſacra profanaque ciuitatis florentiſſimæ decora peſſundederint: id verè nihilominùs factum. A Craſſo accepta clades ignota erudito nemi-

ni, hanc tamen Parthi potiùs intulere, quàm Medi, sed Medos Poeta, Parthos, & Persas, iisdem vtentes fermè moribus, eodemque animo Romanis obsistentes, manifestè confundit. De Marsis & Apulis, nihil addendum ad ea, quæ alibi notata sunt; videntur autem Romana tunc donati ciuitate, alioqui non objiceret, opinor, vis Horatius Ancilia, togam, & reliqua ciuitatis eiusdem ornamenta, quæ ipsi despexissent: cur enim non despicerent ea, quæ ad se nullo pacto pertinerent? non pertinerent autem vllo pacto, si ciues reuera non forent; nam socij, socios enim duntaxat quis forsan fuisse contenderet, legibus aliis viuunt, & sacris aliis domi suæ initiantur.

Ancilia, scuta erant breuia, in Martis æde seruata diligenter, quòd vnum ex iis, regnante Numa, è cœlo delapsum crederetur; ne verò surripi facilè posset, adiecta sunt ei vndecim alia, vt essent omninò duodecim, quæ Virgilius facit omninò celestia, quicquid afferat in contrarium Seruius, & eam ego fuisse Virgilij mentem nullus dubito: etsi enim de vnius lapsu tantùm iactata initio fabula est, posteà tamen deriuauerit sese, apud vulgus præsertim, ad reliqua.

Turpis maritus, Romanæ legionis miles, quia barbara coniux, & quia ipse barbari soceri commiles; quia item togæ oblitus; nam toga Romanorum ciuium propria erat.

Vesta æterna, æternus ignis: iuxta id quod canit Ouidius:

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

Hunc ignem fouebant perpetuò Vestales virgines, impulsu dæmonis, proculdubio, diuinos honores affectantis: nouerat enim talem seruari, Dei iussu, Hierosolymis, qui si extinctus foret, alius è cœlo paraba-

tur; id verò fiebat in vrbe similiter, vbi præcipuus quoque Capitolini Iouis cultus, de quo loquitur hoc loco Poeta; nisi quis velit de Augusto loqui potiùs, quem nuperrimè fecerat Deum.

Hoc cauerat mens prouida Reguli, dissentientis conditionibus fœdis, & exemplo trahenti perniciem veniens in æuum, si non periret immiserabilis captiua pubes, longè alia fuerat M. Attilij Reguli mens: primò enim bello Punico à Pœnis captus, cùm vt ait Cicero, de captiuis commutandis Romam missus esset, iurassetque se rediturum, primùm vt venit, captiuos reddendos in senatu non censuit, deinde cùm retineretur à propinquis, & amicis, ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere. Hæc,& plura, Cicero: turpes igitur putauit conditiones vir magnanimus,& exempli olim admodùm perniciosi, si redderentur adolescentes capti, nullaque misericordia digni; futurum enim erat vt Romani suos vicissim reciperent,euaderentque deinceps ij ad pugnam segniores, neque multùm reformidarent seruitutem,quam sperarent non fore diuturnam.

Signa ego Punicis affixa delubris, & arma militibus, sine cæde, dixit, derepta vidi; oratio Reguli huius in Senatu habita, qua non sine stomacho, testatur se vidisse vexilla Romana, Carthaginensium delubrorum tholis appensa; detracta ignauis militibus,citra sanguinem,arma: vidi ego ciuium retorta tergo brachia libero,portasque non clausas,& arua Marte coli populata nostro; Romanis ciuibus, aliàs ingenuis, vincula iniecta ferociter: portas interim Carthaginis, vt in summa securitate, apertas, & agrorum, à Romanis priùs vastatorum, cultores, in opus rusticum pacatè incumbentes. Auro repensus scilicet acrior miles redibit; vbi auro redemptus

fuerit miles, erit mollior multo. Flagitio additis damnum, ignauiam igitur, ô ciues, inquit idem, insigni detrimento cumulatis. Neque amissos colores lana refert, medicata fuco; quemadmodùm lana, nigro v. g. colore imbuta, candorem pristinum nequaquam recuperat: nec vera virtus, cùm semel excidit, curat reponi deterioribus; ita homo vitiis deprauatus, abiectam virtutem non resumit. Si pugnat extricata densis cerua plagis, erit ille fortis, qui perfidis se credidit hostibus; è retibus elapsa cerua, cuius alioqui pauida indoles, ad pugnam minimè apta est, non magis profectò aptus, qui dubiæ hostium fidei vitam suam permisit: & Marte pœnos proteret altero, qui lora restrictis lacertis sensit iners, timuitque mortem: quis enim sibi persuaserit, reintegraturum certamen fortiter, hostesque profligaturum illum, qui, mortis metu, vinciendum se turpiter dedit?

Hic vnde vitam sumeret inscius, pacem duello miscuit, cùm enim non videret qua ratione suæ consuleret incolumitati, eam cum hoste pascisci maluit, quàm ferro decernere. Pacem duello miscere, est in bello agitare pacis consilia, hoc loco, probrosæ deditionis: nam duellum Antiquioribus, quod Recentioribus bellum. Carthago altior ruinis Italiæ, idem ac, maior Carthago stans, quàm Italia, vel ad mentem Poetæ, opinor, potiùs, quàm Roma, Italiæ ciuitas nobilissima, ruens. Absoluta Reguli oratione, de ipso ita pergit narrare Horatius.

Fertur pudicæ coniugis osculum, paruosque natos, vt capitis minor, à se remouisse, & virilem toruus humi posuisse vultum; accesserunt ad maritum vxor, ad patrem filij, vt extremùm salutarent, & osculo amorem testarentur, at ille in terram defixis oculis, ac aspectu quidem supplices dignatus est. Capitis

minor, vt æui maturus integer vitæ, dicebatur vulgo, capite minutus; is autem apud Romanos erat, inquit Gothofred. in Lexic. iurid. qui statum mutat: sed audiendus hac de re Imperator, qui eam exponit clariùs, Inst. lib. 1. tit. 16. de capit. deminut. Vbi *ait*: est autem capitis deminutio, status mutatio, eaque tribus modis accidit: nam aut maxima est capitis deminutio; aut minor, quamquidam mediam vocant, aut minima. Maxima capitis deminutio est, cùm aliquis simul & ciuitatem, & libertatem amittit; quod accidit in his, qui serui pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ: vel libertis, vt ingratis erga patronos condemnatis, vel his, qui se ad pretium participandum venundari passi sunt. Minor, siue media capitis deminutio est, cùm ciuitas quidem amittitur, libertas verò retinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit: vel ei, qui in insulam deportatus est. Minima capitis deminutio est, cùm ciuitas retinetur, & libertas, sed status hominis commutatur; quod accidit in his, qui cùm sui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri subiecti esse, vel contrà, veluti si filiusfamilias à patre emancipatus fuerit, est capite deminutus: seruus autem manumissus, capite non minuitur, quia nullum caput habuit: quibus autem dignitas magis, quàm status permutatur, capite non minuuntur, & ideò à Senatu motos, capite non minui constat. Ita ibi, conuenienter iis, quæ habentur ff. de capit. minut. toto tit.

Rogabis forsan primò, quî fiat, vt seruus nullum habeat caput? Respondet Paulus, l. liberos, ff. de capit. minut. quia seruile caput nullum ius habet. Hinc bene ait I C. alter, serui caput intelligi, caput iuris, non corporis; neque enim nunc agitur de capite physico, sed morali, ac politico. Rogabis deinde, quare Regulus se capite minutum censuerit?

Respondeo, quòd ab hostibus captus libertatem amisisset, neque vellet redimi vllo pacto. Rogabis denique, cur vxorem, ac liberos noluerit osculari? Respondere videtur Imperator, quando scribit, Inst. lib. I. tit. cit. §. 6. si maxima capitis deminutio interueniat, ius quoque cognationis perit, vtputa seruitute alicuius cognati, & ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognationem. Alienum ergo se ab vxore, ac liberis arbitratus est Regulus, idcóque osculari nefas duxit: quanquam & alia subesse causa potuit, affectata scilicet in rebus aduersis constantia; cum enim verum virtutis præmium ignorarent, inanem eius vmbram sectabantur Antiqui, auramque popularem studiosè captabant.

Donec labantes consilio patres firmaret autor nunquam aliàs dato interque mœrentes amicos egregius properaret exul; dum Senatores, ad mitiora consilia deflectentes, reuocaret ad sententiam suam austeram, ac rigidam, neglectisque familiarium lacrymis, in exilium pergeret. Barbarus tortor, Carthaginensis populus, à quo excarnificatus crudeliter est. Morantem reditus, moras reditui ad hostes injicientem: reditus autem est genitiui casus, tametsi moror postulat accusatiuum: sic amantem pudicitiæ dices, quamvis amo eundem exigat quartum casum. Dijudicata lis, decisa, dirempta.

ODE VI.

Ad Romanos.

DElicta Maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.
Diis te minorem quòd geris, imperas;
Hinc omne principium, huc refer exitum:
Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.
Iam bis Monæsis, & pacori manus,
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, & adiecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Penè occupatam seditionibus
Deleuit vrbem Dacus, & Æthiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fœcunda culpæ sæcula nuptias
Primùm inquinauere, & genus, & domos;
Hoc fonte deriuata clades,
In patriam, populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artibus
Iam nunc, & incestos amores

De tenero meditatur vngui;
Mox iuniores quærit adulteros,
Inter mariti vina; neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis:
Sed iussa coram: non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu nauis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.
Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico,
Pyrrhumque, & ingentem cecîdit
Antiochum, Annibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, & seueræ
Matris ad arbitrium recisos,
Portare fustes, sol vbi montium
Mutaret vmbras, & iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Delicta Maiorum immeritus lues, Romane, donec templa refeceris, ædesque labentes Deorum, & fœda nigro simulacra fumo; quamuis nihil peccassetis, ô Romani, pœnas tamen Maioribus debitas luere-

tis, quandiu Numinum delubra caduca sunt, turpiterque apud vos deformata eorum simulacra.

Diis te minorem quòd geris, imperas; gerere se minorem Diis, est iis se subjicere, sensus igitur sententiæ est: ideò tenetis Imperium, quia Deos veneramini: qui enim veneratur, se subjicit, & minorem fatetur: id cultui Dei vnius apprimè conuenit, vti exemplo suo comprobarunt Hebræi, per duo annorum millia, quibus tandiu stabat resp. quandiu ibi florebat aduersus Deum pietas. Hinc omne principium, huc refer exitum: ab ea incipiendum perpetuò est, & in eam desinendum.

Dij multa neglecti dederunt Hesperiæ mala luctuosæ, varijs afflicta fuit calamitatibus Italia, quia diuinus iacebat apud Italos cultus. Iam bis Monæses, & Pacori manus, non auspicatos contudit impetus nostros, & adiecisse prædam torquibus exiguis renidet: Monæses enim, & Pacorus, Orodis, Parthorum Regis, filij, jam Crassum, Labienumque, copiarum nostrarum duces, omninò profligarunt, & opima retulerunt læti spolia. Hesperiam veteres dixere, tum Italiam, tum Hispaniam; hîc tamen de Italia vna sermo est. Manus Pacori, exercitus, copiæ militares. Impetus non auspicati, auspiciis minimè addicentibus facti: sunt autem auspicia, futurorum euentuum signa, indicio auium demonstrata: id quanquam erat futile, quia tamen vtcunque religiosum, contingebat non raro, vt qui spernerent auspicia, parum fortunati essent: volebat nempe Deus opt. max. vel vmbram veræ religionis aliquo loco esse. Renidere, vultu præferre lætitiam; præferebant Monæses, & Pacorus, quòd ex Romana prædà exilibus anteà, torquibus suis, addere aurum possent, & egregia virtutis, felicitatisque monumenta ostentare.

Penè occupatam seditionibus deleuit vrbem Dacus, & Æthiops, hic classe formidatus, ille missilibus melior sagittis: ob intesti a bella nostra, in summum discrimen adduxere Romam ipsam Æthiopes, & Getæ; hi terrestribus copiis, maritimis illi formidabiles. Augusto nihilominùs imperante, Getas debellauit M. Crassus, diuitis F. Æthiopasque, Petronius.

Fæcunda culpæ sæcula nuptias primùm inquinauere, & genus, & domos; hoc fonte deriuata clades, in patriam, populumque fluxit: Nostra hæc ætas adulteriis, atque stupris dedita, nobilitatem generis, familiarumque præstantiam, turpiter sanè infecit; aliam nemo quærat malorum, quibus conflictamur, originem, cùm tanta turpitudinum moles abundè sufficiat, ad inuehenda longè plura, longéque grauiora. Primùm, refertur ad numerum quidem, absolutè tamen interdum vsurpatur, etiam apud Tullium. Fœcunda culpæ sæcula, numerus singularis pro plurali, & pluralis pro singulari; cum enim ætatis suæ corruptos mores insectetur, fœcundum culparum sæculum proculdubio insectatur. Et genus, & domos; genus domorum, siue familiarum, per figuram Grammaticis notam, de qua nonnil alibi. Hoc fonte deriuata, deest præpositio, ex.

Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo, & fingitur artibus iam nunc, & incestos amores de tenero meditatur vngui; puella nubilis, Ionico saltandi genere mirum in modum afficitur, artibus eruditur amatoriis, & adulteria futura maturè designat. Ionia, minoris Asiæ regio, Cariam inter, & Æoliam, ab Ione, Xuti filio, cuius populi ad omnem lasciuiam procliues; horum harmoniam exulare vult à repub. sua Plato. Fingitur artibus, artubus legunt alij, æquè commodè; membra enim, siue artus, ad mo-

dos componuntur. De tenero vngui; à teneris vnguiculis, dicunt Græci, teste Tullio; à prima, vt apparet, ætate. Incesti amores, antiquis Romanorum legibus damnati, cuiusmodi sunt, incestus propriè dicti, & adulteria, de quibus ICC. ff. ad l. Iul. de adult. & stupr.


Mox iuniores quærit adulteros, inter mariti vina; ostendit poeta Horatius quanta sit puellæ huius procacitas, quæ mox, id est, statim ac nupsit: inter mariti vina, vel in ipso geniali conuiuio: iuniores quærit adulteros, vltro se in oculos amasiorum ingerit: neque eligit cui donet impermissa raptim gaudia, luminibus remotis: ac nullo delectu penitùs, obuio cuique se permittit, dummodo vt latebras nancisci possit aliquas: sed iussa coram, non sine conscio surgit marito; quas tamen palàm subit, euocata enim, è conspectu mariti se proripit impudens: seu vocat institor, seu nauis Hispanæ magister: vt obsequatur etiam mercatori, vel appulso huc ex extrema Hispania nauclero.

Non his inuentus orta parentibus infecit æquor sanguine Punico, Pyrrhumque, & ingentem cecidit Antiochum, Annibalemque dirum; si tam corruptis fuissent moribus Maiores nostri, nunquam exorti ex iis essent, qui Pœnos nauali pugna, terrestri Pyrrhum, Antiochum Magnum, Annibalemque, vincerent: noti satis hi omnes, ex historia Romana.

Sed rusticorum mascula militum proles; enimverò prodiere generosi milites nostri ex hominibus rusticanis: Sabellis docta ligonibus versare glebas; à quibus agriculturæ sunt admoti: & seueræ matris ad arbitrium recisos portare fustes, & adacti à matribus ad ligna domum comportanda: Sol vbi montium mutaret vmbras, & iuga demeret bobus fatigatis, amicum tempus agens abeunte curru; dum fessi

ad quietem se Sole occidente compararent. Sabelli ligones, vel è Sabinis allati, vel apud Sabinos terræ impacti: est enim ligo instrumentum rusticum, fodiendæ terræ idoneum. Versare, crebrò vertere, vertitur autem terra crebro, dum foditur. Sol occidens, vmbras montiũ ideò mutat, quia maiores è minorib. facit: abeunte curru, agens amicum tempus, recedente à nobis curru, in quo sedere fingitur, tempus nocturnum adducens, iucundum valdè iis, qui laborarunt strenuè interdiu, quales agricolæ, cæterique rustici, horum enim labor improbus suo quasi iure cessationem postulat, quam sola nox tribuit, & quidem non perpetuò tota.

Damnosa quid non imminuit dies? omnia lapsu temporis minora quodam modò fiunt, ideóque deteriora. Ætas parentum peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem; Aui nostris parentibus fuere meliores, parentes nobis, nos nepotibus eorum, filiis nostris: quod profectò non vsquequaque verum; imò sub extremam Mundi ætatem, quando sæuiet ferociter Antichristus, vt erit ipse pessimus, pessimique ipsius asseclæ; ita Christiani plerique, Christi optimi asseclæ, similiter optimi, & ex iis non pauci, martyres quoque fortissimi.



ODE VII.

Ad Mæcenatem

MArtiis celebs quid agam calendis,
Quid velint flores, & acerra thuris;
Plena miraris, positusque carbo, in
Cespite viuo,
Docte sermones vtriusque linguæ;
Voueram dulces epulas, & album
Libero caprum, propè funeratus,
Arboris ictu.
Hic dies anno redeunte festus,
Corticem adstrictum pice dimouebit
Amphoræ, fumum bibere institutæ,
Consule Tullo.
Sume Mæcenas cyathos amici
Sospitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor & ira.
Mitte ciuiles super vrbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen;
Medus in festus sibi, luctuosis
Dissidet armis.
Seruit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena:
Iam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Negligens ne quà populus laboret
Parce priuatus nimium cauere:
Dona præsentis cape lætus horæ,
Linque seuera.

Primus mensis Martij dies, qui dies calendarum est, Iunoni consecratus, siue quòd mater fuerit Martis, qui Martio præsidebat: siue quod Iuno crederetur luna esse, ideóque diceretur lucina; Calendis autem singulis lucere denuò inciperet, propterea dicatæ ei erant singulæ, Martiæ tamen in primis, quod quondam Romæ ab iis initium duceret annus. Atqui Iuno præerat connubiis, ea fausta, fortunataque optabant nuptæ, innuptæque fœminæ, Iunonem igitur conciliare sibi tunc maximè satagebant, satagebant & conciliare fœminas viri, ad eas proinde vt mittebant munera, sic ab iis vicissim accipiebant cum sub Decembris finem agerentur Saturnalia: & vtrumque id indicat apertè Martialis.

Celebs variè scribitur à Grammaticis, verùm ea res non est tanti: celebs est, qui caret vxore. Flores, & quæ sequuntur alia, pertinent ad sacrificium, quod Libero patri oblaturus erat Poeta; è floribus coronas facturus: crematurus in acerra thus, è cespite vino excitaturus aram, in eaque caprum immolaturus. Acerra, Græcis θυμιαματήριον; Latinis, thuribulum, Gallis, *encensoir*. Sunt qui eius materiam, formamque describendam sibi sumant, sed vtraque apud veteres, æquè ac apud nos arbitraria. De arbore, cuius casu ferè oppressus fuit Horatius, dictum anteà, Ode singulari.

Diem igitur anniuersarium celebrat, accepti olim beneficij, homo ethnicus; id si sedulò præstaret Christianus quisque, næ ille saluti consuleret mul-

to meliùs. Verùm explicanda Poetæ verba; *hic dies*, inquit, corticem adstrictum pice dimouebit amphoræ, fumum bibere institutæ consule Tullo: pice illitum operculum, hodie remouebo ab amphora, vt ex ea hauriam vinum, L. Volcatio Tullo, & M. Æmilio Lepido, Coss. ibi conditum. Appellatione corticis operculum designat, quia fuerit, opinor, subereum; sed ne halitus aliquis expiraret ex amphora, suberi addita pix, vt à nobis additur eidem interdum cera. Hic dies dimouebit; diei tribuitur, quod eo die fit. De amphora, & vasis Romanorum aliquot aliis, dixi aliàs, in notis ad selecta Martialis Epigrammata. Instituere, est docere; docta igitur erat amphora, ideóque dedicerat, fumum bibere, ab anno V. C. ɪↄcʟxxxvɪɪ. ante natum Horatium anno vno, ex quo conjice, quàm vetus esset vinum, erat enim Poeta tunc adultus.

De fumo, Lambinus in hunc locum, *fumo, inquit*, vinum maturatur, densumque, ac spissum efficitur, cuiusmodi ego in Rhœtia vidi; erat id annorum quadraginta, ita dura, & alta crustra obductum, vt non nisi ea ferro rescissa, vinum depromi posset; atque id ita crassum erat, vt nisi multa aqua dilutum, ac temperatum, neque liquesceret, neque bibi posset. Ita quidem testis vini fumosi oculatus, qui tamen rectè monet, vasa potiùs appellanda fumosa; etenim fumus ad vinum penetrare non poterat, nisi fortè per meatus vasorum insensibiles, per quos etiam penetrasse credendæ sunt; & euolâsse ex doliis, partes vini minùs crassæ.

Mæcenati offeruntur cyathi centum, poeticâ vtique licentiâ, quâ incertus numerus, & quidem longè minor, centenario illo iucundè indicatur. Lucernæ vigiles, per metaphoram, noctu accensæ: perfert eas in lucem, qui ad eas, ab occasu, ad ortum

Solis, vigilat. Mitte ciuiles super vrbe curas; omitte procurationem vrbanam, Romana negotia tantisper sepone.

Occidit Daci Cotisonis agmen, Cotisonis, Getarum Regis, deletæ sunt copiæ. Medus infestus sibi luctuosis dissidet armis, Parthi mutuis vexantur dissidiis. Seruit Hispaniæ vetus hostis oræ Cantaber, sera domitus catena; victi tandem sunt, serò licet, diu multumque tumultuati, extrema in Hispania, Cantabri. Iam Scythæ laxo meditantur arcu cedere campis; reditum cogitant ad antiqua latibula Scythæ, & sensim arcus suos remittunt. Parce priuatus nimiùm cauere; cùm igitur priuatam modò vitam agas, rebus publicis minimùm stude.

ODE VIII.

Ad Mercurium.

MErcuri; nam te docilis magistro
Mouit Amphion lapides canendo;
Tuque testudo resonare septem
Callida neruis:
Tu potes tigres comitesque siluas
Ducere, & riuos celeres morari:
Cessit immanis tibi blandienti,
Ianitor aulæ.
Cerberus, quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spirirtus teter, saniesque manet

Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityoſque, vultu
Riſit inuito; ſtetit vrna paulùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Vna de multis face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum;
Surge, quæ dixit iuueni marito;
Surge: ne longus tibi ſomnus, vnde
Non times, detur; ſocerum, & ſceleſtas
Falle ſorores,
Quæ velut nactæ vitulos leænæ
Singulos, eheu, lacerant; ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Clauſtra tenebo.
Me pater ſæuis oneret catenis,
Quòd viro clemens miſero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget.
I, pedes quò te rapiunt, & auræ,
Dum fauet nox, & Venus: I, ſecundo
Omine, & noſtrij memorem ſepulchro
Sculpe querelam.

De Mercurio iam actum eſt, Ode 8. lib. 1. vbi de eiuſdem etiam lyra, quam nonnulli è teſtudine factam volunt, alij alteram diſtingunt ab altera, & lyram quidem appellant Gallicè, *vne harpe*, vti nos

anteà; teſtudinem autem, *vn lut.* Hyginus poet. Aſtron. lib.2. Lyram à Mercurio de teſtudine ait factam, ſeptemque propterea neruis, ſiue chordis inſtructam, quòd ſeptem Atlantides eſſent, è quarum numero Maia, Mercurij mater. Ego lyram de teſtudine ita factam exiſtimem, vt lyra nihilominùs conſtare ſola poſſit, conſtetque reuera ſæpius; vbi autem acceſſerit ad alteram ipſius partem teſtudo, tunc ſonus repercuſſus, obſcurior, qui, quia liberior, magis anteà clarus.

Amphion, Mercurij diſcipulus, ab eo impetratæ lyræ ſuauiſſimo cantu, ad ſtruendos Thebanæ vrbis muros, lapides traxiſſe fingitur; quia duros, & agreſtes incolas, temerè per loca varia ſparſos, ad ſe, morum ſuauitate, allexit, iiſque oratione delinitis perſuaſit, vt in vnam ſocietatem coirent vniuerſi, ſeſeque, aduerſus hoſtium vim firmiſſima mœniorum corona tuerentur.

Ceſſit immanis tibi blandienti Ianitor aulæ Cerberus; de cerbero dictum alibi: Ianitor aulæ Plutonis appellatur; non quòd ianuam aperiat, & claudat, quod tamen ianitoris eſt munus: ſed quòd ad eam perpetuò excubet. Huius capiti centum angues Poeta nunc affingit, quæ cauſa, ni fallor, fuit vt priùs vocaretur bellua centiceps: ex his porrò anguibus videtur prodire potiſſimùm ille ſpiritus, ſiue halitus teter, de quo hîc mentio fit? quid enim prodeat aliud ex tot corporibus adeò fœdis?

Tityos, græcè, Tityus, latinè, inuito vultu riſit: quia qui cruciatur grauiter, non ridet libens. De Tityi, apud Inferos, pœna diſputatum eſt, aliâ occaſione, anteà: neque enim, fidei luce orbati licet, poſſe fieri arbitrabantur veteres, vt nullis poſt mortem afficerentur ſuppliciis ij qui pluribus vitam flagitiis inquinaſſent: neſciebant autem quænam eſſent ſup-

plicia vera, quid mirum igitur, si falsa procuderent?

Danai puellæ, Danai filiæ quinquaginta, in Tartarum detrusæ, ob necem maritorum, de qua nuper; vnam excipiunt Hypermnestram planè multi, ei Bebrycem nonnulli adiungunt. Face nuptiali digna pronuntiatur hîc Hypermnestra: nouis enim nuptiis præferebantur faces: quare digna censetur puella, quæ nuberet, indignæ aliæ, quæ in sponsos adeò barbarè sæuiissent. Periurum fuit in parentem splendidè mendax: luculento planè mendacio imposuit patri, cui pollicita sine dubio erat, id se, quod sorores, strenuè patraturam. Longus somnus, æternus, ex veterum illorum sententia, qui futuram anastasin ignorabant. Socerum appellat patrem suum Danaum, Lynceum compellans Hypermnestra: nam Danai Lynceus erat gener, cùm esset Hypermnestræ maritus: Lynceum verò miserum vocat, & meritò, quid enim miserius, quàm in patrui domo, à patruele coniuge, inter epulas nuptiales, per perfidiam inauditam, absque vlla flagitij vllius conscienta, iugulari? Lynceo quidem id non contigit, at contigisset certò, si sororum infidam barbariem imitata fuisset Hypermnestra.

Numidæ, populi Africani, oppidò immites; ad hos in exilium amandari puella vult potiùs, quàm turpi se scelere obstringere: quod animi est candidi, & excelsi. I, pedes quò te rapiunt, & auræ; proponit iter duplex, terrestre, & maritimum: ad terrestre, necessarij erant Lynceo pedes, quando tunc ad manum nullus equus: ad maritimum, auræ, siue venti, vt cuiuis notum. Fauet Venus, quia præsidet amori, quo se coniuges inuicem complectuntur. Omine secundo, faustis auibus, addicentibus auspiciis: Gallicè, *à la bonne heure*. Memorem querelam,

lam, interpretare scalptum à Lynceo epitaphium, quo & acceptum ab ea beneficium memoret, & irrogatam ei necem, quam sibi non dubitabat Hypermnestra euenturam.

ODE IX.

Ad fontem Blandusiæ.

O Fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & venerem, & prælia destinat
Frustrà; nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine riuos
Lasciui soboles gregis.
Te Flagrantis atrox hora caniculæ
Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium
Me dicente cauis impositam ilicem
Saxis, vnde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

Fontem Blandusiam, aut Blandusium dicunt alij multi, quia Castaliam, & Castalium fontem dicunt, malim ego nihilominùs Blandusiæ fontem dicere, quòd sic dicat Horatius, & credibile sit Blandusiam,

villæ potiùs, aut agri, quem rigabat ille fons, quàm fontis illius nomen esse; vix enim sortiuntur fontes nomina, nisi fortè ab euentu insigni aliquo, vt Hippocrene, vel à locis profectò ad quæ attinent: si quis tamen contendat communia esse tunc locorum, ac fontium nomina, & vtrisque pariter conuenire, non negauerim eodem efferri casu posse.

Splendidior vitro Blandusiæ fons; cùm enim aqua fontana, vt optima sit, debeat ad aerem similitudine accedere, debebit in primis clara esse, ac limpida; nam quidquid obstat quominùs eiusmodi sit, eam absque controuersia inficit. At quorsum inquies merum, flores & hœdus? ad sacrificium apparantur istæc, inquam; flores quidem, ad coronandam victimam, vel aram exornandam, quæ futura cespititia, ni fallor: vinum autem, non temperatum aqua sed merum, siue purum, ad alterutram, vel vtramque fortassis aspergendam, & hœdum, ad victimam ipsam, quemadmodùm poeta significat, quando ait: cras donaberis hœdo, cui frons turgida cornibus primis, & venerem, & prælia destinat frustra, nam gelidos inficiet tibi rubro sanguine riuos lasciui soboles gregis; die crastina hœcum immolabo, cui erumpentia primùm ex fronte cornua iam impetum ad lasciuiam, & ad pugnam, inditum esse demonstrant: at sanguine suo nihilominùs Blandusiæ aquas tinget, statis ritibus iugulatus.

Te flagrantis atrox hora caniculæ nescit tangere; molestus tibi non est dierum canicularium æstus: tu frigus amabile fessis vomere tauris præbes, & pecori vago: nam eodem semper frigore recreas, & boues ab aratione, & oues à pastu redeuntes. De canicula dixi, Od. 12. lib. 1. Horam autem caniculæ atrocem iure appellat poeta, noxiam multis, aliquibus etiam lethalem: sed horam ne intellige, vt in-

telligunt Latini, verùm vt Græci, quorum loquendi morem non rarò repræsentat Horatius; horam igitur ij, Galeno teste, vocant nominatim id tempus, quo exorta dominatur in orbe nostro canicula, per dies quadraginta fermè. Vocant item horam, tempestatem anni, quamlibet, æstatem, autumnum, hyemem; & præ his, ver apud ipsos, est ὥρα; vnde ὡραῖος, non vernus tantùm, sed & per quandam analogiam, pulcher, speciosus, vegetus, maturus, tempestiuus.

Fessi vomere tauri, boues, totum diem arantes, sub vesperam lassi. Vomer, aut vomis; aratri ferrum cui culter incumbit, vt ager vtroque proscindatur: pecus vagum, præcipue oues, quæ, dum pascuntur, nullo certo loco consistunt.

Fies nobilium tu quoque fontium, reponêris in celeberrimorum fontium numero: me dicente cauis impositam ilicem saxis, vnde loquaces lymphæ desiliunt tuæ; meis hisce carminibus quibus indico, perpetua sua viriditate, amœnitatem tibi, algoremque, conciliare ilices, è tumulo illo enatas, ex quo scaturiunt aquæ tuæ, accedentium auribus leni murmure blandientes. Ilex igitur ibi vna pro pluribus: nam neque algorem vna sola, neque amœnitatem conciliat, eo præconio dignam.

ODE X.

Ad Populum Romanum.

HErculis ritu modò dictus, ô plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Cæsar Hispana repetit penates

Victor ab ora.
Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata diuis;
Et soror clari ducis; & decoræ
Supplice vitta,
Virginum matres, iuuenumque nuper
Sospitum. Vos ô pueri, & puellæ
Iam virum expertæ, malè nominatis
Parcite verbis.
Hic dies verè mihi festus atras
Eximet curas: ergo nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.
I, pete vnguentum, puer & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli;
Spartacum si qua potuit vagantem.
Fallere testa.

Herculis ritu modò dictus, ô plebs, morte venalem petiisse laurum, Cæsar Hispana repetit penates victor ab ora; Augustus, ô Romani, quem nuper aiebant Herculeæ haud absimilem victoriam reportasse, in vrbem ouans ex Hispania venit. Laurus, victoriæ symbolum, pro victoria ipsa hoc loco vsurpatur: quapropter laurum petere propriè, est ad victoriam aspirare: verùm ad hanc, tentatam priùs ab aliis frustra, sic aspirauit Augustus Imp. vt consequutus etiam sit, & quidem Herculis ritu, siue Herculem imitatus: nam vterque pugnauit in Hispania vterque hostem nactus est penè inuictum, Geryonem Hercules, Augustus verò Cantabrum, vterqu tamen victor tandem euasit.

Vnico gaudens mulier marito, prodeat iustis operata diuis, & soror clari ducis; pudicitiæ laude insignis Liuia, coniux Augusti, eiusdemque soror, Octauia, Deorum templa subeant, ibique faciant sacra: & decoræ supplice vitta, virginum matres, Iuuenumque nuper sospitum: principes hasce fœminas, ornatæ vittis, comitentur matronæ aliæ, præsertim eæ, quæ suos è bello reduces acceperunt. Vnico gaudens mulier marito Liuia, quamvis non vnica gaudens muliere vir eius Augustus; Liuiæ igitur non pudicitiam tantùm, sed & prudentiam commendat Horatius, atque ita se sensim in Imperatoris animum insinuat: etsi enim vagis quandoque implicabatur amoribus, Liuiam tamen diligebat vehementer, vti addictam sibi perpetuò, molestam autem nunquam. Octauia M. Antonij triumuiri vxor, meliori marito digna; huic ille si adhæsisset, neque esset secutus impuram, infidamque Cleopatram, non adeò turpi, ac probrosa morte, turpem vitam, probrosamque clausisset.

Diuos à Diis distingunt aliqui, sed certum est, apud veteres, sæpe saltem, confundi: Diuos autem siue Deos appellat poeta iustos, eo fortè consilio, vt qui Augustum Herculi comparauit priùs, nunc ipsi Augustum eundem præferat, neque enim viderentur iusti Dij, si victoriam iniustè pugnanti tribuissent: atqui Hercules, vt Palæphatus narrat, sola ductus abigendi boues cupiditate, opponentem sese illi Geryonem de medio sustulit, nihil Deorum potentiam reueritus: aliter longè Romanus imperator, siquidem arma intulit in Hispaniam, prouocatus iniuria, & hostes haudquaquam contentos suis, verùm appetentes aliena, & excursionibus grassantes debellauit.

Vos ô pueri, & puellæ, iam virum expertæ, malè

nominatis parcite verbis : puellæ, iam virum expertæ, recèns nuptæ. Malè nominata verba , ea sunt, quæ non possunt nisi malè proferri, vel quòd obscœna sint, ideóque à castis auribus arcenda , vtpote iis indigna penitùs , vel quòd aliquo ex capite infausta, vtpote aliquod infortunium portendentia : porrò verbis huiusmodi parcere , idem est ac linguis fauere ; ex quo fortassis contigit, vt fauere linguis multi, esse idem penitùs , ac penitùs tacere, putauerint ; quamuis idem duntaxat sit , ac verbis eiusmodi, mali ominis, penitùs abstinere.

Pete vnguentum, & coronas , vade ad vnguenta, & coronas quærendas , mihique continuò affer. Cadus , κάδος , vas vinarium , incertæ capacitatis; sunt qui existiment eo contineri 12. congios , seu duos & septuaginta sextarios : ex hoc certè Horatij loco intelligitur amplum oppidò fuisse vas , alioqui non statim subjiceret : Spartacum siqua potuit vagantem fallere testa : nam verbis iis innuit, potuisse vinum inde depromi , quo replerentur testacea vasa plurima. De vnguento , & coronis, ad conuiuia solitis adhiberi , dictum est aliàs. De bello Marso, siue Marsico potiùs , historiæ Romanæ scriptores consulendi : bellum autem id Marsicum appellatur, quòd Marsi , cum Pelignis, Marrucinis, Picentibus, Lucanis, & Samnitibus , in populum Romanum coniurassent ; iure enim ciuitatis postulato , repulsam erant passi. Contigisse id fertur ann. V. C. DCLXXII. annis XVI. & ampliùs, ante bellum seruile , concitatum à Spartaco.

Fuit Spartacus gladiator , genere Thrax , robore corporis , animique , insigni , qui effracto Lentuli ergastulo , cum aliis aliquot eiusdem fortunæ hominibus, egressus Capua, seruos vocauit ad pileum, & cum iis, magno numero confluentibus , editum

occupauit in felici Campania montem, vbi obsessus, obsidentis Clodij castra diripuit: inde Lentuli copias in Apennino dissipauit, postéaque ad Mutinam fregit Cassium; tandem tamen fractus ipse à Crasso, vnà cum suis fortiter dimicans periit. Non videntur id tentasse serui, nisi pluribus priùs appetiti contumeliis; est enim contumeliosa diuitum natio, quam propterea casus imprudentem affligunt identidem graues.

Laborat in carminis huius prosodia Lambinus: Spartacum si qua potuit vagantem fallere testa: quòd nolit si qua testa, in sexto esse casu, sed contendat idem planè testam sonare quod cadum: ita tamen, vt materiam testa, cadus verò mensuram declaret: verùm pace litteratoris eruditi dixerim; quamvis enim sic fatear in primo casu testam esse, quod ipse omninò vult, nego tamen, satis eleganter superioribus hisce subjici verbis: & cadum Marsi memorem duelli: nam cadum vnum illùm designat, in quo conditum vinum fuit, Marsici belli tempore, Horatius; quo sensu ergo potest de cado eodem dubitare? potest nihilominùs dubitare de vino ibi condito: sciebat igitur ex epigraphe, cadum apud se vnum esse, in quem eo tempore iniectum vinum esset; verum ignorabat an vini aliquid, in eo, seruorum vagantium rapacitatem effugisset: atque ita cessit omnis de Prosodia quæstio, & planus est Poetæ sensus, si testam pro hemina, aut alio minori vase capias, quod sibi afferri à puero iubet, cum vnguento, & coronis; an enim, vt hoc etiam objiciam, iuberet afferri ab eo sibi cadum? quare dum ait: Spartacum si qua potuit vagantem fallere testa: sic interpretor: si fortè cadus ille, aliqua sui parte hostem latuit: nec mirum, quia enim, vt narrabat Lambinus, vinum ætate obdurescit, potuit aliqua sal-

tem istius pars, minùs liquida, in fundo hærere.

Cadum duelli, siue belli, dicit, venusta omninò metaphora, quam suggerunt animatæ res, quæ rerum præteritarum memoriam seruant: nam idem suo modo præstabat & cadus.

ODE XI.

Ad Mæcenatem.

INclusam Danaem turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pauidum, Iupiter, & Venus
Risissent; fore enim tutum iter, & patens,
Conuerso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentiùs
Ictu fulmineo: concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum
Demersa excidio; diffidit vrbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus: munera nauium
Sæuos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames: iure perhorrui
Latè conspicuum tollere verticem,

Mæcenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negauerit,
A Diis plura feret : nil cupientium
Nudus castra peto ; & transfuga, diuitum
Partes linquere gestio,
Contemptæ dominus splendidior rei,
Quam si quidquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ riuus aquæ, siluaque iugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
fallit, sorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis ;
Importuna tamen pauperies abest,
Nec si plura velim, tu dare deneges :
Contracto meliùs parua cupidine
Vectigalia porrigam,
Quàm si Mygdoniis regnum Halyattici
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa : bene est : cui Deus obtulit
Parca quod satis est manu.

Acrisius, Abantis filius, Rex Argiuorum, cùm ex oraculo accepisset fore vt à nepote occideretur, filiam vnicam Danaen in turri ænea inclusit, à Ioue tamen, in imbrem aureum conuerso, vitiata est

puella, quam pater, vnà cum edito subinde fœtu, marinis fluctibus in arca exposuit: hæc ad littus Apuliæ delata, Pilumno Regi, à piscatore, cui fortè occurrerat, exhibita est. Danaen Rex vxorem duxit; genitum à Ioue filium, cui Perseus nomen fuit, curauit liberaliter educandum. Adultus Perseus, talaribus, petasoque, donatus à Mercurio est; & falcato instructus ense, quo cùm Gorgonis amputasset caput, Acrisium, obiecto eo, mutauit in saxum.

Fore enim tutum iter, & patens: intellige, sciebant, vel quid simile. conuerso in pretium Deo, rectè: nam custodes virginis, canibus alioqui vigilantiores, acrioresque, corrupti oblato à Ioue auro, arcem ei prodidere. Hinc subiungit apposité poeta: aurum per medios ire satellites, & perrumpere amat saxa, quia auro imperuium nihil. Amat autem, explico Gallicè, per metaphoram, *il prend plaisir*: quasi delectetur peruadere inaccessa, & repagula quæuis audacter effringere: atqui quod quis facere delectatur, & vltrò facit, & crebrò. Non falsò igitur Tullius affirmauit aliàs nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.

Amphiaraus, Oiclei filius, auguriis clarus, ab Adrasto, Argiuorum Rege, ad bellum Thebanum ductus est; cùm autem impendens præsciret exitium, latuit diu, sed ab Eriphyle detectus vxore, quã Adrastus aureo monili donauerat, prudens, & sciens, ad pestem ante oculos positam profectus est: primo enim belli die, hiatu terræ est absorptus. Hunc designat poeta, his verbis: concidit auguris argiui domus, ob lucrum demersa excidio; verè, domus: nam Alcmæon, patris iussu, matrem Eriphylen interfecit, & ipse posthodùm furore correptus, pœnas criminis dedit; ità concidit vniuersa illa familia.

Diffidit vrbium portas vir Macedo, & subruit æmulos Reges muneribus, Philippus, Alexandri magni Pater Macedoniæ Rex, vrbes auro expugnauit: finitimos Principes fortunis euertit auro: aiebatque, nullum esse castellum adeò arduum, vt eo potiri non posset, dum in ipsum onustus auro asinus, à se missus, ascenderet.

Munera, nauium sæuos illaqueant duces, maximè duri censentur, addicti maritimis expeditionibus, homines, molliuntur auro nihilominùs, eiusque illecebris capiuntur faciliùs, quàm feræ laqueis, vel retibus pisces.

Crescentem sequitur aura pecuniam, maiorumque fames: qui ergo diuites fiunt, versantur in ancipiti, siquidem augendæ pecuniæ cupiditate, & metu amittendæ, cruciantur. Iure perhorrui latè conspicuum tollere verticem: idcircò, inquit Horatius, summum illum diuitiarum, dignitatumque apicem perpetuò formidaui. Quanto quisque sibi plura negauerit, à Diis plura feret: quia, quo quisque paucioribus est contentus, & pluribus à prouidentia diuina cumulatur.

Nil cupientium nudus castra peto, & transfuga, diuitum partes linquere gestio, videtur Poeta religiosam familiam animo præcepisse; quis enim ad eam aspirans, nunc non dixerit, abjicio impedimenta terræ omnia, in cœlum euolare cupio, proptereàque amplector institutum eorum hominum, qui cuncta fluxa ista despiciunt, & à cupidis, auarisque, me subduco? contemptæ dominus splendidior rei, quàm si quidquid arat impiger Apulus, occultare meis dicerer horreis, magnas inter opes inops, dominabor enim gloriosiùs in ea, quæ contempsero quàm si vniuersa possiderem Apuliæ granaria, fameque in copia tanta, conficerer.

Puræ riuus aquæ, siluaque iugerum paucorum, & segetis certa fides meæ, fulgentem imperio fertilis Africæ fallit, sorte beatior; fons Blandusiæ, ilicetum, & annuus Sabinarum frugum prouentus, me longè beatiorem efficiunt opulentissimo alioqui Africanarum regionum moderatore. Certa segetis fides: idem ac seges, nunquam expectationem illudens. Fallit autem fulgentem Africæ imperio, cum riuo, atque silua, hæc seges: quia cùm exilia sint istæc omnia, ægrè ille persuaserit sibi, beatum esse posse, nedum se beatiorem, cui nihil bonorum præterea fuerit; verùm aberrabit, ex mente *Horatij*, toto cœlo.

Læstrigones, Italiæ populi, ab omni humanitate alieni, vt qui hospites occiderent, eorumque carnibus vescerentur, Formianum oppidum condidere de quo videsis, quæ allata sunt, in notis, ad selecta Martialis Epigrammata. Languescit vinum, in diuitum apothecis, vbi tanta eius copia, vt ibi latere diu possit, priusquàm educatur: at Bacchus pro vino, metonymicè. Vellera, lanæ. Pascua Gallica, Italica etiam sunt; sermo enim facilè fuerit de Gallia, quam Romani vocabant Cisalpinam, quæ vicinior nobis Italiæ pars: de huius lanis dixi, in nott. paulo antè citt.

Importuna pauperies, rerum omnium indigentia. Contractus cupido; appetentia modicis circumscripta limitibus. Porrigere vectigalia, tributa dependere. Regnum Halyattici campis Mygdoniis continuare; Lydiam simul, Phrygiamque possidere, saltem eam Phrygiæ partem, quæ à Mygdonibus, Macedoniæ populis, eò delatis, occupata. Nolim autem Halyatticum, patrem Crœsi, cum Lambino, interpretari, sed Crœsum ipsum potiùs, qui dictus sit Halyatticus, à patre Halyatte, Lydiæ Rege: porrò

celebratur Crœsi huius felicitas, à Solone castigata verbis, & à Cyro, Persarum Rege, armis accisa.

ODE XII.

Ad Ælium Lamiam.

ÆLi, Vetusto, nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim,
Latè tyrannus; cras foliis nemus
Multis, & alga littus inutili,
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquæ nisi fallit augur,
Annosa cornix: dum potes, aridum
Compone lignum; cras genium mero
Curabis, & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

Æli Vetusto nobilis ab Lamo; ô Æli, oriunde ab antiquo Læstrygonum Rege Lamo: quando & priores hinc Lamias ferunt denominatos, & nepotum per memores genus omne fastos: quotquot enim è gente Lamiarum sunt, tum veteres, tum noui, quorum crebra in fastis Romanis mentio, ab eo appellatio-

nem, absque vlla controuersia, trahunt. Auctore ab illo ducis originem, qui Formiarum mœnia dicitur, princeps, & innantem Maricæ littoribus tenuisse Lirim latè tyrannus: ac ne qua detur cuipiam erroris occasio, illum dico Lamum, qui Formiis primus, ad Lirim vsque fluuium, imperauit. Nimirùm alius fuit Lamus, Herculis filius, qui nullo huc pacto pertinet, hic enim Neptunum agnoscit patrem: quia scilicet, aliunde, ad oram Italicam, naui appulsus, idcircò ab Italis Neptuni, siue maris, filius habitus est, quòd nullus extaret parens alius, vel ipse certè, vt se suis commendaret hospitibus, parentem hunc iactauit.

Quando & priores hinc Lamias ferunt denominatos, & nepotum per memores genus omne fastos: quando, inquit Godscalc. pro siquidem, vel quoniam, coniunctio causalis est; vt, duc me ad eam, quando huc veni, vt videam. Terent. Quoniam ergo, & priores hinc Lamias ferunt denominatos, & nepotum genus omne, id est, maiores, & minores, siue omnes omninò Lamias: per memores fastos, fastorum beneficio, familiæ nobilissimæ memoriam conseruantium, alioqui facilè interituram. Tenet princeps, qui primus: vnde princeps Senatus, est primus inter Senatores. At Strabonem sequutus Bondius, Formias à Laconibus extructas arbitratur, cùm iamdiu obijsset hic Læstrygonum Princeps: affirmandũ nihilominùs reparatas à Laconibus Formias potiùs: non semel autem contigit, vt qui vrbem aliquam denuò excitassent, primi eiusdem conditores vocarentur.

Liris, Campaniæ fluuius, cuius prior syllaba tertiam vocalem Latinam habet, quia Græcis est λεῖρις; hodie Italis, *Garigliano*: Marica, noui Latij sylua est, ad Lirim, quam præterfluens, in mare Tyrrhe-

num-se, iuxta Minturnas, inclúsam paludibus vrbem, exonerat. Habuit sylua hæc nomen suum à Marica, quam Venerem aliqui, alij Circen, alij deníque Faunum, Latini Regis matrem, fuisse contendunt: quando autem syluæ Lirim Poeta innantem facit; facit, opinor, subeuntem, siue intrantem, fortassisque innundantem, maximè quando, aliqua de causa, solito vehementiùs intumescit.

Alga, herba est, in mari nascens, quam fluctus non rarò in littora ejiciunt: inutilem Poeta dixit, & verè; nullus enim compertus adhuc eius vsus. Cornix augur aquæ, quia pluuiæ futuræ nuntia; & annosa, quia creditur diutissimè viuere. Curare genium, epulari: Porcum autem bimestrem mactaturus Lamia erat: vbi vides viri nobilis temperantiam, qui tam vili contentus opsonio foret; prætereáque humanitatem, qui famulos mensæ suæ vellet esse participes.

ODE XIII.

Ad Faunum.

FAune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, & aprica rura,
Lenis incedas, abeasque paruis
Æquus alumnis:
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo:

Cum tibi nonæ redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum boue pagus;
Inter audaces lupus errat agnos,
Spargit agrestes tibi silua frondes;
Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

Faunus rusticorum Deus, lasciuus erat, & maleficus, quales etiamnum Cacodæmones ij, qui ad nocturnos conuentus deferunt miseras striges, quas non crudelitate tantùm, sed & salacitate nimia vexant sæpius; vt scilicet ægrè faciant Deo, eiusque imaginem deforment quotidie magis.

Nymphæ, amantes castitatis, fugiunt eiusmodi libidinum monstra, quæ fuisse longè molestiora tunc nullus dubito; nondum enim de ipsis triumpharat Christus Dominus. Parui alumni, vel pueri vernæ, vel teneri greges: nam vtrisque Fauni, Satyri, Syluani, & panes, infesti vt plurimùm erant; horum omnium senior Faunus ferebatur esse pater, ideóque inter apotropæos, siue auerruncos Deos primus, rure saltem, vbi versabatur, scribens ista Horatius noster.

Si tener pleno cadit hœdus anno, larga nec desunt Veneris sodali vina crateræ, vetus ara multo fumat odore: si vertente anno, hœdum immolo tibi: effundo vinum, & incendo thus, in ara, liberaliter; inire à te gratiam debeo. Plenus annus, exactus, præteritus. Cadit hœdus, quando iugulatur. Cratera crateræ, idem quod crater crateris; vtrumque apud veteres vsitatum. Cur autem sodalis Veneris crater; nisi quia vinum continet, vinum autem Venerem incendit? Hinc Ephesiis aiebat Apostolus: nolite

inebriari vino, in quo est luxuria: & hæc non minùs accepta erat humani generis hosti, quàm ebrietas.

Nonæ Decembres, quintus vltimi mensis dies, qui mensis, Romanis decimus aliquandiu fuit; nempe anni aliquandiu initium duxerunt à Martio, cui posteà Ianuarium, Februariumque præponendos iudicarunt, neque tamen immutarunt mensium omnium subsequentium nomina, de quibus consulendi Antiquarij. Iam ad rem: Fauno sacra faciebant Pagani, quotannis, ad Nonas Decembres: Nonas verò, vel quintum, vel septimum diem appellabant ideò, quia semper nonus erat antè idus, quæ diuidebant mensam, incidebant enim semper, vel in XIII. vel in XV.

ODE XIV.

Ad Telephum.

QVantum distet ab Inacho
  Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, & genus Æaci,
  Et pugnata sacro bella sub Ilio;
Quo Chium pretio cadum
  Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo præbente domum, & quota,
  Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ properè nouæ,
  Da noctis mediæ, da puer, auguris

Murænæ ; tribus, aut nouem
Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates : tres prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta ſororibus.
Inſanire iuuat : cur Berecynthiæ
Ceſſant flamina tibiæ ?
Cur pendet tacita fiſtula cum lyra ?
Parcentes ego dexteras
Odi ; ſparge roſas : audiat inuidus
Dementem ſtrepitum Lycus,
Et vicina ſeni non habilis Lyco.

Inachus, primus Argiuorum Rex ; Codrus Atheniensium vltimus : elapſum inter eos temporis interuallum Telephus inueſtigans, alia etiam hiſtoriæ Græcæ capita ſingularia enarrabat, ea præſertim, quæ ad Æaci, Iouis ex Ægina filij genealogiam ſpectant, & ad totam belli Troiani rationem. De Codro multi veterum ſcribunt, ob ſeruatam eius obitu remp. cùm enim accepiſſet, victorem fore illum exercitum, cuius dux in bello caderet, gregarij militis habitu Caſtra hoſtium ingreſſus, ab iiſdem interemptus eſt, & ſic fecit oraculo edito ſatis.

Genus Æaci, non parentes eius tantùm, maioresve ſignificat, verùm filios etiam, ac nepotes : fuere filij, Peleus, Telamon, Phocus ; nepotes, Aiax, Teucer, Achilles, de quibus multa multi : Æacus demum, vnà cum Rhadamanto, & Minoe, Inferorum iudiciis eſt præfectus.

Pugnata bella, inita certamina : ſub ſacro Ilio,

prope muros vrbis Troiæ, quæ vt à Troe Rege, Troia, sic ab Ilo, Rege altero, Ilium; ideò sacrum, vel quia muri eius à Diis, Neptuno, & Apolline, olim extructi, vel quia Diis aliis, nominatim Vulcano, Iunoni, atque Palladi, ciues omnes inuisi, totaque propterea ciuitas excidio destinata: sacrum enim contrariæ quodammodò significationis est, & sonat aliquando, consecratum quid; aliquando etiam, exsecrandum: & hunc sensum videtur spectasse Poeta, vt colligere licet ex Nerei Vaticinio, anteà explicato.

Chius Cadus, Cadus vino, ex Insula Chio, quæ Ioniæ Vicina est, allato plenus; laudabatur autem Aruisium maximè, in Aruiso, eiusdem Insulæ colle, proueniens, quod appellatione nectaris honestat Virgilius: iam ex Aruisio Itali fecere, *maluasia*, nos voce ab iis accepta, *maluoisie*: cuius dulcedinem vtcunque repræsentant castanei coloris vuæ, apud nos natæ quidem, sed inde primùm excerptæ, ex iis quippe conficitur vinum, quod maluaticum barbarè appellant, id suauitatis longè maioris in citeriori Gallia subalpina est, nec minoris profectò dignitatis.

Aquam ignibus temperare, ad balneum, inquiunt alij, malim ego ad epulum, de quo vno hîc mentio fit. Quo præbente domum, domi ergo alienæ cœnaturus erat Horatius: at quota hora? Quære ex Martiali, qui quidquid Romæ per diem ageretur, & quota diei hora, indicat non semel, & nos ea de re, in notis, obiter disputauimus.

Peligni populi, Marsis Vicini, vnde ortus Ouidius; ibi frigora ex montibus, molesta sine dubio Poetæ, in Apulia, regione calidissima, nato. Da Lunæ properè nouæ, da noctis mediæ, da puer, auguris Murænæ; quia hora vndecima, occidente Sole vi-

delicet, accubiturus est, eius non meminit, sed Lunæ mox orituræ, quam proinde salutare vult; vt & noctem mediam, quò cœnam est producturus; postremò, Muræna quoque augurem: verùm dubitat, an tribus, aut nouem certè cyathis, præstet implere id genus officij; cyathos tres suadent Gratiæ, numero tres, nouem verò, totidem Musæ.

Da Lunæ properè nouæ, vel, da properè Lunæ nouæ poculum, vel certè, da poculum Lunæ properè nouæ, id est, quæ mox futura est noua; siue, quæ mox apparitura, nostrumque, vt vocant, lustratura horizontem. Da noctis mediæ, ad eandem id Lunam, nocte media lucentem, alij referunt, ego ad noctem ipsam, quam nemo Mythologus nescit Erebi fuisse vxorem, à quibus procreatos liberos recenset Hyginus. Da puer auguris Murænæ: his verbis Lambinus, ex Simeone Bosio, tempus matutinum describi existimauit, quòd augures captarent auguria, & auium volatus, garritusque, obseruarent, sub ortum Solis: at non in gratiam augurij dicta hæc, sed auguris profectò, cuius augurium comessabundus Horatius minimè, opinor, attendebat.

Tribus, aut nouem miscentur cyathis pocula commodis; licebit commodè, vel tres cyathos, vel nouem etiam haurire: miscentur ergo, id est, quando miscentur, seu propinantur pocula, quæ tres, aut nouem etiam cyathos repleant, non videntur incommoda: nempe Antiqui merum bibere non solebant, sed mixtum; quod iam alibi scripsimus: ideò miscere, idem ac potandum eiusmodi vinum dare.

Qui Musas amat impares, ternos ter cyatos attonitus bibet vates: qui Musas amat impares vates, poeta, nouem Musarum amore impulsus: ternos ter cyathos bibet, bibet etiam cyathos nouem: sed attonitus, seu fermè temulentus. Vnde manifesta fit

Romanorum veterum ſobrietas, quæ vinum nec merum admitteret, nec eam temperati quantitatem, quam ex noſtris helluonibus multi vno hauſtu abſorberent, citra ebrietatis periculum quidem, ſed non citra detrimentum ſanitatis, nihil enim contrarium ei magis,quam crapula.

Tres prohibet ſupra, rixarum metuens, tangere Gratia nudis iuncta ſororibus: Aglaia,cum ſororibus, Thalia & Euphroſyne,tres tantùm cyathos concedit, ne ſi pluribus indulgeat quis, in clamores, contumeliaſque prorumpat. Notum eſt Græcorum adagium vetus: ἢ πέντε, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα; quod interprete Euſtathio, vnum vini, cum duobus aquæ cyathis, vel ſummùm duos, cum tribus aquæ cyathis tribuit; non verò duos vini, cum totidem cyathis aquæ: longè igitur aberant, bibaces alioquin populi, à turpi, & effræna illa noſtræ huius ætatis intemperantia, qui tres vini cyathos reſpuerent penitùs: duos autem, non niſi bene maceratos aqua, & penè obrutos, præberi ſibi vellent.

Inſanire iuuat, libet ſapientiæ limites hac nocte tranſilire. Cur Berecynthiæ ceſſant flamina tibiæ? Cur pendet tacita fiſtula cum lyra? inflentur tibiæ, fiſtulæque, & citharæ pulſentur, vt in ſacris Cybeles, Deorum matris, fieri ſolet: Berecynthia vocatur,à Berecyntho, Phrygiæ monte; vbi præcipuus eiuſdem Cybeles cultus.

Parcentes ego dexteras odi; inuiſa mihi parſimonia. Audiat inuidus dementem ſtrepitum Lycus,ſtrepitus demens,dementium,ſiue inſanientium,ac bacchantium hominum tumultus; gallicè, *ſabbat, tintamarre, chariuary*. Vult autem Horatius exaudiri tumultum hunc à ſene Lyco, vt inuidia maiori crucietur, quòd ob ætatem prouectam, comeſſationibus huiuſmodi gaudere non poſſit. Et vicina ſeni

non habilis Lyco : exaudiri similiter à Lyci vxore adolescentula, quam is à se abesse non patitur ; etenim non poterit non molestè ferre solitudinem suam, audita colludentium, & concinentium turba.

ODE XV.

Ad Amphoram.

O Nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, siue geris iocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem piâ testa somnum,
Quocunque lectum nomine Massicum
Seruas moueri digna bono die,
Descende, Coruino iubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus :
Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerumque duro ; tu sapientium
Curas, & arcanum, iocoso
Consilium retegis Lyæo.
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, & addis cornua pauperi,
Post te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Natam secum amphoram dicit Poeta, quòd in ea iisdem consulibus vinum conditum sit, quibus ipse in lucem editus. Seu tu querelas, siue geris iocos, seu rixam, & insanos amores, seu facilem pia testa somnum; tria his verbis ebriosorum genera esse significat, quorum aliqui difficiles, queruli morosi, ad rixas, & ad iurgia proni; faciles alij, blandi, ac mites, lepidi, arguti; alij denique inertes, & somniculosi: pro varia scilicet humanorum corporum temperatione, cui vires addit maximas ingurgitatum liberaliùs vinum.

Quocunque lectum nomine Massicum seruas, moueri digna bono die, digna moueri, digna es, quæ de superiori apotheca deferaris in triclinium hodie: quocunque lectum nomine Massicum seruas; ob eximiam vini tui dignitatem, siue ipsum Manlius, siue quiuis alius consul, nomine suo insignitum reliquerit. Massicum, à Massicis Campaniæ montibus, vbi lectum id vinum. Bonus dies, festiuè, hilariterque transigendus. Descende promere, descende vt depromas, vel vt depromantur ex te potiùs; languidiora vina, quæ idem ac vinum vetus, & ex vetustate languidum: quia eos non emittit spiritus, quos nouum emitteret, nec eam init à palato gratiam, summo nihilominùs in pretio erat Romæ, quòd neruos non tentaret, commodaret ventriculo, & fluxionem humoris noxij excitaret planè nullam.

Socraticis madere sermonibus, ethicen profiteri, de qua libens disputauit Socrates. Horridus est, qui doctrinâ austerus. Priscus Cato; censorius, aut Cato maior, alter enim, & minor, & Vticensis est dictus: fuit autem tantæ seueritatis Cato ille, vt nomen eius, pro seuero, censoreque vsurpatum sit. Virtus calet mero, quando facta mollior, in omnem partem negotio nullo flectitur, metaphora

ex ferro deducta, quod rigidum licet, vbi tamen igne incaluit, rigorem illum perdit.

Tu lene tormentum ingenio admoues plerumque duro, tu sapientium curas, & arcanum iocoso consilium retegis Lyæo; tu supplicia, sed suauia, infligis, quibus adigis duros ad arcana retegenda consilia, & sapientes ad curas deponendas. Tormentum admouere dicitur vinum; quia perinde facit, atque is, qui supplicio quæstionem exercet: etenim doloris ille acerbitate, fateri verum cogit; vinum autem, suauitate voluptatis. Ingenium durum, homo asper, ac seuerus, quem non facilè de sententia dimoueas, neque ad mentem aperiendam allicias vnquam. Lyæus, Bacchus, à λύω, soluo; quod corpus & animum soluat: corpus quidem, abjiciendo humi sæpius, animum autem, molestiis liberando.

Addere vires, & cornua pauperi: robore, atque audacia egenos instruere: metaphora est à cornutis animalibus accepta, quæ videntur audaciam posuisse cum cornibus. Post te; haustum videlicet, nam alloquitur merum. Regum apices: maiestatem, & potentiam, quibus cæteros antecellunt.

ODE XVI.

Ad Dianam.

Montium custos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diua triformis,

Imminens

Imminens villę tua pinùs esto,
Quam per exactos ego lætus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

Diana, quia virgo, ideò montium, atque nemorum custos; difficilis enim, inter hominum turbas, virginitatis custodia, quæ in locis auiis, cuiusmodi montes plerunque, ac nemora, valde facilis: idcircò prudenter Lusitani: *Dama de monte è Caualeyro da Corte.* Ad quod effatum sic Ferdinandus Nunnius, *la Muger no ha de ser criada entre multitud de gente, al contrario el Varon.* Debet quippe puella ignorare, quæ patrare non debet.

Laborantes vtero, parturientes: laborant autem fœminæ, in ætate tenera potissimùm: quia maior tunc imbecillitas corporis, & exquisitissimus doloris cuiuslibet sensus. Ter vocata; nam ternarius numerus in Dæmonum inuocationibus frequens; videbatur autem Dianæ addicendus maximè, quòd esset triformis Dea: nimirum colebatur apud Inferos, vbi erat Proserpina, & Hecate; apud Superos, vbi Luna: & apud Mortales, vbi Diana, & cùm opem patientibus ferret, Lucina: Certum autem est, aliam celestis, terrestris aliam huius formam extitisse: nec dubium, quin & alia infernæ fuerit; meritò igitur triformis nuncupata.

Pinum vindicabat sibi Cybele, cur ergo, inquiet aliquis, ab Horatio Dianæ consecratur. Respondet non nemo, quia Diana eadem atque Isis, Isis verò eadem ac Cybele: sed Cybele, cœli ac terræ filia est, Saturni vxor, Deorum aliorum mater, Iouis nominatim, qui pater Dianæ: idcircò si Diana Cybele sit, fuerit haud dubiè sui ipsius auia patrisque sui

mater, quod creditu non vsquequaque facile: idcircò malim ego affirmare, consecratam nunc Dianæ propterea pinum, quòd inter villæ arbores eximia ea fuerit, meritóque Dianæ consecrata, quòd esset Dea nemorum; constant enim ex arboribus vnis nemora.

Eadem de Verre, ac de Pinu difficultas; Verres enim non Dianæ, sed Cereri sacer, immolatus ei primùm à Triptolemo, quòd acceptas à Cerere fruges, & ab eodem Triptolemo satas, effodisset: Cererem autem nonnulli Cybelen ideò esse aiunt, quòd existiment vtraque terram ab Antiquis fuisse designatam. At non propterea non fuerit Dianæ quoque immolatus idem Verres: quid enim immolet rusticam vitam agens, nisi rustica animalia, in quibus non postremo loco est Verres? Adhæc, Diana, vti diximus, Proserpina est; Proserpina autem, Cereris filia: quæ cùm præter humanam, equinam etiam, & caninam formam indueret, quidni induat & Cereris formam, eademque sibi iura, easdem victimas deposcat, vel vt Ceres, vel saltem vt Cereris filia?

ODE XVII.

Ad Phidilem.

CÆlo supinas si tuleris manus,
Nascente Luna, rustica Phidile;
Si thure placaris, & horna
Fruge lares, auidaque porca;
Nec pestilentem sentiet Africum

Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.
Nam quæ niuali pascitur Algido
Deuota quercus inter & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secures
Ceruice tinget: te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Paruos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus;
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.

Ad piè obeunda religionis munia rusticanam mulierem inuitat Horatius, proposita mercede pietatis, eiusdemque ostentata facilitate: nimirum exiguntur ab eo pauca, qui multa dare nequit: pluris enim donantem, quàm dona, faciunt Superi, vt qui animum propiùs, quàm manum, respiciunt. Rogabant eos Ethnici, manibus in cœlum elatis: Marinos, ad mare porrectis; Inferos, percussâ manibus, vel pedibus terrâ; manus autem supinas efferebant, quasi aliquid, opinor, accepturi: nos verò, manus quidem tollimus, at non pandimus tamen; ea enim petimus maximè, quæ manibus haudquaquam capiuntur, quippe planè cœlestia: idcircò precamur manibus iunctis, & ad recipiendum quidpiam minimè comparatis.

Nascentis Lunæ meminit Poeta, quòd in plantas maximè id sidus dominetur: quanquam incertum est,

an velit eam coli tunc à villica sua, vel Deos domesticos tantùm, quibus iubet offerri domesticum animal, & eiusdem anni fruges: nam eæ à Latinis dicuntur hornæ, aut hornotinæ. Porcam autem scitè modò, auidam nuncupauit, cui anteà Verres, obliquum ictum meditans fuit: nam Verres obliquè ferit eos, quos habet in itinere obuios, exertis ad oris latera dentibus: porca autem, saginæ vni dedita, perpetuò escam appetit, nisi fortè obdormiscat iam satura.

Africus viti noxius, halitibus noxiis, ex Africa delatis: noxia rubigo segeti, halitibus afflatis ei à nebula, colorem ferrugineum, marcoremque inducentibus. Sterilis rubigo propterea quòd segetem faciat, sterilem, vt mors pallida, hominem pallidum, Dulces alumni: pueri, apud Phidilem educati, Graue tempus: minùs commodum valetudini bonæ. Annus pomifer: Autumnus, quo poma vbertim proueniunt.

Algidus, mons in Latio, ita dictus, ab algore, quia scilicet niualis: vbi enim consistit nix, non potest deesse algor. Deuota victima, ex voto Diis debita. Herbæ Albanæ, Albani montis pascua: erant autem vicini Romæ, Albanus, & Algidus. Pontificum secures ceruice tingere, à pontificibus iugulari, quorum erant maiores hostiæ.

Te nihil attinet tentare nulla cæde bidentium paruos coronantem marino rore Deos, fragilique myrto; tuum non est Iouem, Martem, aliosve maiorum gentium Deos, copioso mactatarum ouium sanguine demereri; satis tibi sit, coronas Laribus, vel assoles, è myrto, vel rore marino, plectere.

Immunis aram si tetigit manus; dummodò vt puras manus sacris aris admoueas: non sumptuosa blandior hostia mollibit auersos penates, farre pio,

& saliente mica; placabuntur vel irata tibi numina, vbi salis, farrisque tantillum obtuleris. Manus immunis, à scelere atque ideò pura: tangebat aram, venerationis ergo; vti nunc etiam apud nos fit, præsertim à rusticanis hominibus, antiqua simplicitate gaudentibus. Mollibit, antiquè, nunc dicendum molliet: molliet autem, metaphora est, à rebus duris, quæ molles factæ, flectuntur in quamlibet formam. Auersos Penates: alia metaphora, quam suggerunt irati, etenim sese auertunt ab iis, quibus grauiter irascuntur. Mollibit farre pio, & saliente mica, non sumptuosa hostia, id est, quæ quidem non sumptuosa hostia est; Appositio, figura grammatica: mollibit blandior, hellenismus: Latini vulgò dicunt, blandius mollibit. Far, & mica saliens, mola salsa: nempe farina, cui salis modicum inspersum sit: imponebatur hæc hostiæ capiti, atque, vt nonnulli scribunt, sacrificuli etiam cultro. Saliens autem appellatur à salio; vel quòd molam, salsam faceret, vel quòd in ignem coniecta, exiliret: nam salire, & saltum significat, & salem: mola porrò, à molendo nuncupata, non ideò quia molit, sed quia molita: vtpote massa farinæ, quæ in molem aliquam excrescit.

ODE XVIII.

In Auaros.

INtactis opulentior
  Thesauris Arabum, & diuitis Indiæ
Cæmentis licet occupes
  Tyrrhenum omne tuis, & mare Apulicum;

Si figit adamantinos
　Summis verticibus dira neceſſitas
Clauos, non animum metu,
　Non mortis laqueis expedies caput.
Campeſtres meliùs Scythæ,
　Quorũ plauſtra vagas ritè trahunt domos,
Viuunt, & rigidi Getæ,
　Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt,
　Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
　Æquali recreat ſorte vicarius:
Illic matre carentibus
　Priuignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
　Coniux, nec nitido fidit adultero:
Dos eſt magna, parentium
　Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas;
　Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.
O quiſquis volet impias
　Cædes, & rabiem tollere ciuicam,
Si quæret pater vrbium
　Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam,
　Clarus poſtgenitis: quatenus, heu nefas!
Virtutem incolumem odimus,
　Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
Quid triſtes querimoniæ,

Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt; si neque feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataeque solo niues,
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora nautæ.
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere, & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ.
Vel nos in Capitolium
Quò clamor vocat, & turba fauentium;
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus; scelerum si bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Praui sunt elementa, & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Noscit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Græco iubeas trocho,
Seu malis, vetita legibus alea;
Cùm periura patris fides
Consortem socium fallat, & hospitem,
Indignoque pecuniam
Hæredi properet: scilicet improbæ

Crescunt diuitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

Intacti Arabum thesauri, quia nondum eò Romanorum arma peruenerant: credebantur autem ingentes omninò esse, non tantùm quòd forent intacti; verumetiam quòd constarent ex maxima auri, gemmarumque copia, quæ duo pretiosa in primis.

Cæmentis occupare maria, insanas substructiones ita producere, vt mare vniuersum insessuræ videantur: vbi nota, hyperbole omni maiorem, hyperbolem. Tyrrhenum, Hetruriam alluit: pars verò Adriatici sinus, Apulicum. Abundant vna littera, qui Apullicum scribunt; qui Ponticum substituunt in locum Apulici, & abeunt longiùs, & minùs probabilem venusinam hyperbolem hanc faciunt.

Summi vertices, principes viri, clauos iis *adamantinos* figit; eorum cursum, quasi clauo *impacto* remoratur, siue vitam abrumpit: necessitas dira, mors, nemini mortalium parcens; quia omnibus, inconcusso summi numinis decreto, infligenda: non animum metu, non mortis laqueis expedies caput idcircò auarus, quamuis opes vndique infinitas congesserit, neque impositam sibi necessitatem effugiet, nec torquentem perpetuò necessitatis huiusce formidinem. De laqueis potest esse metaphora duplex, laqueis enim vtuntur aucupes, ad capiendas etiam volucres, tametsi videntur laqueis omnibus superiores esse: laqueis prætereà vtebantur gladiatores quidam, vel si mauis, retibus, vnde dicti retiarij, quibus quidem retibus aduersarios implicatos confodiebant: significat autem Horatius, non aperta vi tantùm, sed & occultis insidiis, mortem aduersus homines grassari vniuersos, quorum nullus eam vnquam arte vlla vitauerit.

Campestres Scythæ, quorum plaustra vagas ritè trahunt domos; descriptio populorum Septentrionalium, qui Græcis ἁμαξόβιοι, quia nullo certo loco consistentes, sed perpetuò in curribus vagi; hos commendat, vt & Getas finitimos Poeta: erat quidem summa in victu apud ipsos simplicitas, at non minor profectò in moribus barbaries, quam retinent adhuc ex iis plurimi. De Getis subjiciuntur sat multa: primùm rigidi vocantur, quod quidam ad frigus patriæ referunt; malim ego referre ad vitæ austeritatem, atque parsimoniam: deinde amantes castitatis, & opum cogendarum minimè studiosi, vtpote quibus immetata iugera; nullis agri circumscripti limitibus: fruges, & Cererem ferunt, producunt segetes, familiis sanè multis communes: nec cultura placet longior annua; neque verò est vllus, qui annis agricolam duobus continuis agat: defunctumque laboribus æquali recreat sorte vicarius; peracta enim vnius anni messe, vltro è popularibus alius aliquis labori succedit. Illic matre carentibus priuignis mulier temperat innocens; fœminæ ibi virorum liberos, ex priori coniugio susceptos educant, absque vlla veneni suspicione: nec dotata regit virum coniux, nec nitido fidit adultero, neque vt Romæ fit, ob illatas in familiam opes, aut virorum detrectant imperia, aut amasiorum tutelam respiciunt. Dos est magna, parentium virtus, & metuens alterius viri certo fœdere castitas: arbitrantur scilicet se dotatas abundè, si parentes eximia virtute præditos habuerint, & insigni fuerint pudicitia ipsæ: & peccare nefas, aut pretium est mori; quam quidem violare nulli penitùs licèt, mors enim adulterij certissima est pœna.

Fruges, & Cererem, hendiadys, fruges Cereris, triticum, pro quo metonymicè accipitur Ceres;

quemadmodùm Bacchus pro vino. Vicarius, vices alterius gerens. Priuignus, qui antequam mater secundò nuberet, est progenitus, pri enim pro præ vsurparunt antiqui. Ait Festus. Temperare, puta vinum, aqua miscere; Gall. *tremper le vin.* Hoc loco, vt & alibi non semel, idem ac propinare: quòd propinare non solerent, nisi bene temperatum. Metuens alterius viri certo fœdere castitas, casta mulier, cum viro vno, matrimonij sacris ritibus copulata, abhorret interim à viris omnibus aliis, eorumque consuetudinem fugit. Pretium mori, mors, flagitij perpetrati supplicium.

Pater vrbium, idem ac pater patriæ; quæ laus, in ciuitate aliqua, summè amabilis. Subscribi statuis, rectè: nam Romani viris illustribus erigebant statuas, in quarum basibus laudes eorundem inscribebant. Postgeniti, posteri, quorum claritas à Maioribus deriuatur haud semel. Feruidis pars inclusa caloribus, zona torrida. Boreæ finitimum latus, duratæque Solo niues, zona glacialis. Vtrum autem, ætate Horatij, alterutram mercatores penetrarint, incertum: credibile est poetam id entheo abreptum cecinisse.

Clamor, & turba fauentium, aura popularis: hæc in Capitolium ideò vocat, quia populus extollit laudibus eos, qui pretiosa conferunt in sacras ædes donaria; sacrum autem tunc Ioui Capitolium erat. Gemmas, & lapides variè distingunt varij, neque enim eadem est Iurisconsultorum, Grammaticorumque quorundam sententia, dixerim ego gemmarum nomine designari præstantius aliquid; ita vt gemmæ omnes lapides sint, non omnes lapides, gemmæ: nam gemmæ lapidibus mole cedunt, sed superant eosdem pulchritudine; hinc marmora quædam reponuntur in lapidibus, in gemmis planè nul-

la. Cur citò in mare mittenda istæc, inquies? quia, inquit Horatius, cupidinis praui eradenda elementa. Sic censebat Philosophus Epicureus, non sic modò censebit Christianus; abjicienda quidem ea, Christi causa, docebit, sed ad sacerdotum, aliorumve sanctitate illustrium hominum pedes, vt magnificentiùs ornentur inde templa, vel miseriæ pauperum subleuentur faciliùs.

Equo hærere, sedere in equo, equo insidere: sed hìc equo hærere, propriè, *se tenir à cheval*. Neque enim qui equis insident omnes, iis firmiter hærent. Ingenuus, ab ingenio, quod Latinis naturam significat, est igitur is, qui suo arbitratu, & ingenio potest viuere, ac naturæ bono frui, nulla vi afflictæ, & mutatæ; siquidem ingenuos vocarunt Antiqui, qui seruitutem seruierant nunquam, Maioresve habuerant seruos, & hi erant patricij, nam patrem, auumque ciere poterant; consistebant quippe in auo Romani, nec patricios de cœlo demissos arbitrabantur, inquit Liuius, cordatè. De ingenuis plura Gothofredus, in Lexico Iuridico.

Trochus, Græcè τροχὸς, Latinè circulus, rota, quam pueri, & pueris maiores, impellebant, singulari quadam industria, vt corpus exercerent, apud Græcos primùm, posteàque apud Romanos, ad gymnasticam adhibita.

Nomen aleæ est, ambiguum, aliquando enim propriè sumitur, aliquando metaphoricè; propriè, pro ludo talorum, similibusve aliis, in quibus fortuna potiùs dominatur, quàm solertia, aut vires: metaphoricè, pro incerto euentu; hinc apud ICC. spei emptio, de qua Pompon. l. 8. ff. de contrah. empt. spes enim res valdè incerta est, præsertim quando auium agitur, pisciumve captura.

Properare pecuniam; properè comparare, quod

ſine flagitio non fit : verè igitur Horatius improbam appellauerit pecuniam huiuſmodi, ab improbo ſcilicet quæſitam, aut quæſitam improbè; vtrum malueris, nam improbum vtrumque.

ODE XIX.

Ad Bacchum.

QVò me, Bacche, rapis, tui
Plenum? quæ nemora, aut quos agor in ſpecus,
Velox mente noua? quibus
Antris, egregij Cæſaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inſerere, & concilio Iouis?
Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non ſecus in iugis
Exſomnis ſtupet Euias
Hebrum proſpiciens, & niue candidam
Thracen, ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen. Vt mihi deuio
Rupes, & vacuum nemus
Mirari libet? ô Naiadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos;
Nil parum, aut humili modo,
Nil mortale loquar: dulce periculum eſt,

O Lenæe, sequi Deum
Cingentem viridi tempora Pampino.

Bacchus Βάκχος, ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, ait, ex Eustathio, Christianus Oeconomus, hoc est, ab inconcondito vlulatu, quo furentes Bacchæ personabant, inserta tamen littera χ, quo expressio fieret immanioris soni. Cibenius, ἀπὸ τοῦ βάζειν, quod videtur factum per syncopen, ex βοάζειν: at non placet eiusmodi deriuatio, quòd à Bacchi appellatione remotior. Scriptores nouitij quidam Bacchum esse opinati sunt Moysem, Hebræorum Legislatorem ac Ducem; Nemrod alij, Babyloniorum tyrannum: at nec satis peritè isti, neque illi satis piè. De Baccho iam multa nos anteà, nominatim lib. 2. Od. 15. quæ in eius laudem scripta est.

Quæ nemora, aut quos agor in specus, velox mente noua? velox agor, idem ac, velociter agor: mente noua, & quidem à mente noua, siue nouo animo, mihi diuinitus afflato: in specus, & nemora, in antra, & siluas, aut lucos, vbi celebrata quondam Orgia, sacra Bacchi mysteria, quæ dicta volunt ab ὀργὴ, siue ira; nam ad iram, immò veriùs furorem, concitabantur, qui nefandis huiuscemodi mysteriis intererant.

Stellis inserere, & concilio Iouis, immortalitati consecrare. Non secus in iugis exsomnis stupet Euias; sic in summis montium cacuminibus extra se rapitur, alioqui vigilans Mænas: hæc dicitur Euias, vel meliùs profectò, Euhyas, à Baccho, qui Euhyus, ex duabus Græcis vocibus, de quibus ego aliàs; quanquam Bochartius, Geograph. sacr. part. 2. lib. 1. æquè hoc vt alia Bacchi cognomina reuocat ad linguam Hebraicam; verùm & demus reuocari

posse aliqua, negamus tamen, & merito; vniuersè debere reuocari. Stupor, qui Mænadi, seu Bacchæ tribuitur, ἔκστασις Græcè, est mentis alienatio quædam, non à Deo, bonisve Angelis duntaxat, sed & à malis quandoque immissa, tametsi homo maximè vigilet: quod fit, abductis à quouis externo sensu spiritibus, quos animales Philisophi vocant; nullus enim agere sensus potest, iis planè destitutus.

Hebrum, Thraciæ fluuium, nasci aiunt, in monte Rhodope, & è regione Samothraciæ, in Ægeum mare deuolui: Oeagrius appellatur ab Oeagro, patre Orphei, cuius caput eò proiectum traditur à Poetis. Vt, pro quomodo, cum admiratione aliqua, eleganter. Deuius, à recta; & vsitata deflectens via. Nemus vacuum, hominibus puta, ideóque solitarium. Naiadum potens, Naiadibus imperans; sunt autem Naiades, fluuiorum Nymphæ, à νάιω, quod & νάω, fluo.

Bacchæ valentes, quæ possunt; nam valere hoc loco, est posse; proceras manibus vertere fraxinos, ingentes arbores manibus reuellere, & extirpare penitùs, quia fraxinus hîc pro qualibet arbore, species pro genere; quemadmodùm alibi vsurpatur pro specie genus. Porrò si factum, quod narratur de arboribus euulsis, arte mali Dæmonis proculdubio est factum; neque enim tantarum virium muliercula sunt. Periculum dulce, si tamen periculum: Deum sequi, morem gerere Baccho.

Lenæus, Græcè ληναῖος, cuius radix est ληνὸς, lacus torcularij preli, ait Eilardus Lubinus; alij nihilominùs ipsum etiam torcular ita dictum arbitrantur. Pampinus, folium vitis, ex quo tempora cingit Bacchus, quando inde coronam sibi texit.

ODE XX.

Ad Lyden,

Festo quid potiùs die
  Neptuni faciam? prome reconditum
Lyde strenua cæcubum,
  Munitæque adhibe vim sapientiæ:
Inclinare meridiem
  Sentis, ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
  Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus inuicem
  Neptunum, & virides Nereidum comas;
Tu curua recines lyra
  Latonam, & celeris spicula Cynthiæ;
Summo carmine, quæ Cnidon,
  Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon
Iunctis visit oloribus:
  Dicetur merita nox quoque nænia.

Festo quid potiùs die Neptuni faciam? putat Lambinus esse hîc ὕστερον πρότερον: erat enim iste Ordo, inquit: prome Lyde reconditum cœcubum, & bibam; quid enim potiùs festo Neptuni die facere possum? Ego tamen malim initium Odæ factum esse ex abrupto: siquidem id magis elegans, magisque poeticum. Incidebat autem festus Neptuni dies in Kalendas Septembris, ex veteri Romanorum Kalendario, quod

faſtis Ouidij eſt affixum. Lyde, ſerua mulier, opl. nor, ex Lydia.

Cæcubum, Campaniæ oppidum, in cuius agro eiuſdem appellationis vinum. Prome ſtrenuà; deprome ſtrenuè, diligenter, citò, properè. Munitæque adhibe vim ſapientiæ, ſapientiam meam, ab hilaritate alienam vehementer, ſeueritatique addictam, expugna, & ad iocos compelle: atqui non magna ibi adhibenda vis erat.

Inclinare meridiem ſentis, Solem vides vergere ad occaſum; nempe inclinant, quæ breui ruitura ſunt; inde hauſta metaphora: ac veluti ſtet volucris dies, parcis deripere horreo ceſſantem Bibuli conſulis amphoram, & perinde quaſi tempus nobis nullo modo effluerct, ex apotheca vinaria nihil moues, cùm inde afferenda eſſet amphora, cui nomen Bibuli conſulis olim adſcriptum, ann.V.C.IↃCCXIV. deripere horreo, de horreo rapere, ſiue ſtatim exportare, quod videlicet ſegnes non ſint, qui rapiunt.

Nos cantabimus inuicem Neptunum, & virides Nereidum comas, hoc eſt, Neptunum, & Nereides, viridibus capillis præditas: ſunt verò Nereides, filiæ Nerei, neptes Oceani, ac Thethyos; maris nymphæ, cuius aqua cùm multis in locis appareat viridis, nihil mirum ſi capillos iſtæ fuerint ſortitæ concolores.

Latona, Dianæ mater, quæ dicta Cynthia eſt, à Cyntho, qui mons in Inſula Delo eſt, vbi hæc in lucem edita, cum Apolline fratre: ſpicula fert quia venatrix, ſpicula item, quia lucida; nam quot vibrat radios, tot cenſetur mittere ſpicula.

Summo carmine, quæ Cnidon, fulgenteſque tenet Cycladas, non Latonam duntaxat, & Dianam, eius filiam, verumetiam Venerem celebrabis, in cuius tutela Cnidos, ſeu Gnidos, vrbs Lyciæ, vbi templum,

& in templo simulachrum Veneris eiusdem, à Praxitele sculptum; Cyclades item, Ægei maris insulæ, Paphus denique, in Cypro insula ciuitas, quam cycnis currui iunctis identidem inuisit. Summum carmen, extremum. Nænia, cantus lugubris propriè, quo mortuis extremum dicebant vale, qui proptereà pro cantu extremo accipi etiam potest. Dicetur meritâ nox quoque Næniâ, hypallage: neque enim dicitur Næniâ nox, sed nocte potiùs nænia dicitur.

ODE XXI.

Ad Mæcenatem.

TYrrhena Regum progenies, tibi
 Non antè verso lene merum cado,
  Cum flore Mæcenas rosarum, &
   Pressa tuis Balanus capillis,
Iamdudum apud me est; eripe te moræ:
 Ne semper vdum Tybur, & Æsulæ
  Decliue contempleris aruum, &
   Telegoni iuga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, &
 Molem propinquam nubibus arduis;
  Omitte mirari beatæ
   Fumum, & opes, strepitumque Romæ.
Plerumque gratæ diuitibus vices,
 Mundæque paruo sub lare pauperum
  Cœnæ, sine aulæis, & ostro,

Solicitam explicuere frontem
Iam clarus occultum Andromedæ pater
Oftendit ignem, iam Procyon furit,
Et ftella vefani leonis,
Sole dies referente ficcos.
Iam paftor vmbras cum grege languido,
Riuumque feffus quærit, & horridi
Dumeta Syluani; caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu ciuitatem quis deceat ftatus
Curas, & vrbi folicitus times;
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaifque difcors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginofa nocte premit Deus;
Ridetque, fi mortalis; vltra
Fas, trepidat: quod adeft, memento
Componere æquus; cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alueo
Cum pace labentis Hetrufcum
In mare, nunc lapides adefos,
Stirpefque raptas, & pecus, & domos,
Voluentis vnà, non fine montium
Clamore, vicinæque filuę,
Cùm fera diluuies quietos
Irritat amnes. Ille potens fui,
Lætufque deget, cui licet in diem
Dixiffe, vixi; cras vel atra
Nube Polum pater occupato,

Vel Sole puro, non tamen irritum
Quodcunque retro est efficiet, neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sæuo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna:
Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me inuoluo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, & votis pacisci,
Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant auaro diuitias mari;
Tunc me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Ægeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

Tyrrheni, à Tyrrheno, Atys filio, nuncupati, quem ex Lydia profectum in Italiam secuti sunt; iidem Hetrusci etiam dicti, ex quorum stirpe regia ortus ferebatur Mæcenas, de quo iam Ode 1. lib. 1. hunc ad cœnam inuitat Horatius, aitque adfore vinum dulce, flores, & vnguenta.

Cadus non antè versus, intactum dolium, ex quo nihil haustum sit adhuc; inuertebant enim, vt haurirent, quod in summo dolio, non ad latus, os dolij esset. Balanus, glans vnguentaria, ex qua oleum

exprimebatur, quo capita conuiuarum perfunderent. De floribus alibi disputatum.

Vdum Tybur, ob aquarum copiam. Æsulæ aruum decliue, quia id oppidum in cliuo, Tyburi vicino, positum. Telegoni iuga parricidæ, Tusculum, extructum à Telegono, Vlyssis, ac Circes filio, qui patrem occidit imprudens; extructum autem erat in iugo, seu cacumine montis, vbi nunc amœnæ, nec inutiles, Romanorum procerum villæ.

Moles propinqua nubibus arduis, Capitolium, altè assurgens. Fumus, Romani populi, & principum, nominatim Augusti Cæsaris, fauor: *Gall. l'air de la Cour.* Sine aulæis,& ostro; hendiadys, sine aulæis ex ostro, seu purpureis. Solicitam explicare frontem, mœrorem abstergere, aduocareque lætitiam, cuius indicium explicata frons.

Andromedæ pater, Cepheus, Æthiopum Rex, quem cum filia, vxore Cassiopea, & Perseo genero, relatum inter sidera Poetæ fabulantur. De Cepheo sic Hyginus, Astron. lib. 2. Includitur, inquit, arctico circulo, à pedibus ad pectus, vt præter humeros, & caput eius,nihil occidere videatur: constat stellis omninò 19. Clarus est, qua parte perpetuò apparet: occultum ostendit ignem, qua parte interdum latet; nam de posteriori hac tantùm potest esse nunc sermo, prior enim, quia semper conspicua est, nullum certum designat anni tempus.

Procyon, Græcis, Latinis Anticanis, canicula, canis minor; stella Oriens ante canem maiorem: de vtraque dictum aliàs. Vesanus leo, quia tunc à calore, ac siccitate maxima, canum rabies, quæ dirum insaniæ genus. Syluanus horridus, quòd horrorem incutiat, vt etiam, quòd amet loca valdè vmbrosa, & auia, horrorem pariter incutientia.

Seres, populi; Bactra, ciuitas; Tanais, fluuius;

ad Scythiam spectant. Pater, Iupiter. Ludum insolentem ludere pertinax, molitur aliquid insolitum semper. Si celeres quatit pennas, si à me auolat: nam vbi auolant aues, pennas mouent, & quatiunt. Malus nauigij mugit Africis procellis, quando flante Africo, tempestate iactatur; vis enim venti huius præcipuè malum petit, nam vela contrahuntur. Geminus Pollux, vnicus quidem aliis, Horatio tamen duplex, aut geminus, quia ipse, cùm esset immortalis, maluit identidem mori, quàm fratrem suum Castorem videre perpetuò mortalem: idcircò Pollux geminus fuit, vbi æquata vtriusque sors fuit, nihil enim vni datum, quod alter non habuerit.

ODE XXII.

EXegi monumentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotēs,
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum Series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam: vsque ego postea
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnator populorum, ex humili potens
Princeps Æolium carmen ad Italos

Deduxisse modos: sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Exegi monumentum ære perennius, tumulum mihi feci, diuturniorem longè quàm si ex ære conflatus esset totus: regalique situ pyramidum altius; magisque conspicuum, & illustrem, quàm fuerint olim Regum Ægypti pyramides. Multa pars mei vitabit libitinam; potior mei pars, nempe animus, cui adhærebit perpetua ingenij fama expers erit interitus. Tacita virgo, Vestalis, cui silentium imperat pudor, & sacrorum reuerentia. Aufidus, Apuliæ fluuius: violens, præceps, & violentus. Daunus, alter fluuius Apuliæ: regnator agrestium, tametsi aquæ pauper; nam interdum ex pluuiis, aut niuibus liquefactis intumescit. Æolium carmen, Lyricum, cui eximiam nauarunt operam Alcæus, & Sappho, in celeberrima Æolij maris insula nati.



LIBER IV.

ODE I.

AD IVLVM ANTONIVM.

PIndarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto,
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet, immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit, numeriſque fertur
Lege ſolutis;
Seu Deos, Regeſque canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere iuſta
Morte centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ;

Siue quos Elea domum reducit
Palma celeſtes, pugilemve, equumve,
Dicit, & centum potiore ſignis
Munere donat;
Flebili ſponſæ Iuuenemve raptum
Plorat, & vires, animumque, moreſque
Aureos educit in aſtra, nigroque
Inuidet orco.
Multa Dircæum leuat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego apis Matinæ
More, modoque,
Grata carpentis thyma, per laborem
Plurimum, circa nemus, vuidique
Tyburis ripas, operoſa paruus
Carmina fingo.
Concines maiore Poeta plectro
Cæſarem, quandoque trahet feroces,
Per ſacrum cliuum, merita decorus
Fronde, Sicambros;
Quo nihil maius, meliuſve terris
Fata donauere, bonique Diui,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.
Concines lætoſque dies, & vrbis
Publicum ludum, ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu; forumque
Litibus orbum.
Tum meæ, ſi quid loquar audiendum,

Vocis

Vocis accedet bona pars, & ô Sol
Pulcher; ô laudande, canam recepto
Cæsare felix;
Teque dum procedis, io triumphe,
Non semel dicemus, io triumphe,
Ciuitas omnis, dabimusque diuis
Thura benignis.
Te decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener soluet vitulus, relicta
Matre qui largis iuuenescit herbis,
In mea vota,
Fronte curuatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis ortum,
Quà notam duxit, niueus videri,
Cætera fuluus.

Pindarum quisquis studet æmulari, Iule, ceratis ope dædalea nititur pennis, vitreo daturus nomina ponto, frustra est, qui Pindarum imitatione consequi se posse confidit; erit enim Icaro similis,& maris partem aliquam casu proprio funestabit. Pontus porrò vitreus, quia vitrei coloris. De Dædalo, qui pennas, adhibita cera, Icaro filio concinnauit, actum alibi.

Imbres alunt amnem, quando aquas illius augent; nam moritur quodammodò, dum aquis destituitur: eæ ergo sunt ipsi instar vitæ, nedum alimenti, quod vnum velle videbatur Horatius. Feruet Pindarus, attollitur more exundantis fluuij: immensus ruit, tum delabitur præceps,& vtrumque hoc mirabilem eius carminum fundendorum arguit vbertatem.

Dithyrambi, versus à Baccho, in cuius honorem

canebantur, appellati: nam & Bacchus ipse ideò dithyrambus, quia duas veluti ianuas nascendo penetrauit, matris vterum, & femur Iouis; quod Græci aiunt: *δύο θύρας βῆναι.* Erant autem dithyrambi versus liberiores aliis, quòd & verba continerent minùs alioqui vsitata, & poeticum numerum ægrè vllum præse ferrent: id enim exigebat Bacchantium furor, quem non decet angustis coerceri limitibus.

Reges, Deorum sanguis: quia genus suum ad aliquem Deum solebant referre, nominatim ad Iouem cuius infinita penè vulgabantur adulteria, vnde numerosa oppidò progenies: verùm ij, per quos cecidere iusta morte Centauri, fuere in primis duo, Pirithous, Lapitharum Rex, & Atheniensium Theseus: hic amici vlturus iniuriam, sponsam ille defensurus, quam inuitati ad nuptias, & madentes vino, rapiebant Centauri, horum pugnam describit Ouidius, Metam. lib. 12.

Cecidit flamma Chimæræ, imò cecidit Chimæra ipsa, quando flamma eius extincta est, à Neptuni filio, Bellerophonte: nam & simul monstrosa bellua illa extincta est, cui flamma videbatur pro anima esse.

Elea palma, victoria, in Eleo, Græciæ *campo*, reportata, quæ tanti fiebat, vt qui eam consequerentur, diuinos propemodùm honores putarentur consecuti; & id apertè testatus est, Ode prima, Libri primi Horatius, quando dixit: palma nobilis terrarum dominos euehit ad Deos: certabant autem interdum pugilatu; interdum equos ad metam incitabant, cauentes tamen anxiè, ne in eam impingerent currum. Donare aliquem munere centum signis potiore, in eius commendationem edere carmina, quæ ipsius famam posterorum memoriæ insculpant meliùs, quàm marmoreæ centum statuæ, in foro collo-

catæ: nam & ætatem diutiùs ferunt carmina, & laudes memorant elegantiùs.

Iuuenem raptum flebili sponsæ plorat; quando immaturam describit adolescentis eximij necem, simulque perennes virginis eidem nuptæ lacrymas: vires, animumque, moresque aureos educit in astra, summis laudibus effert: corporis robur, dotes animi, præsertim suauissimos, & sanctissimos mores: nigroque inuidet Orco, quos quidem ab obliuione negotio nullo vindicat.

Multa Dircæum leuat aura cycnum, tendit quoties in altos nubium tractus, sublimis fertur Thebanus Vates, Pindarus quoties argumentum nobile aliquod suscipit pertractandum. Cycnus, pro Vate, seu Poeta ob suauitatem cantus. Dirce, solis filia, Thebarum Regis coniux in fontem eiusdem nominis versa, haud Thebis procul: hinc Dircæus, idem poetis, ac Thebanus. Cycnum leuat aura, metaphoricè, ex eo, quòd humi consistentes graui corporis mole aues, vento afflante, auolent longè faciliùs. Iam aura, siue ventus, Poetam subleuans; est ingenij vis, & entheus, furorve poeticus: alti tractus nubium, argumenti, stylive sublimitas.

Matinus, Apuliæ mons; vnde apis Matina, Horatius Apulus, qui tamen laborabat extra patriam, in agro Tyburtino: vt autem Augusti laudes extolleret maximè, se minimum esse ait, imparem proinde huic muneri; & hic modus laudandi proculdubio venustus: nam quod de Pindaro præmisit, eo tantùm præmisit consilio, vt significaret sibi deesse facultatem necessariam, quanquam aderat prolixa omninò voluntas, verbis etiam iis exposita, quæ Pindaricam repræsentent elegantiam; hanc enim assecutum se saltem, quasi aliud agens, demonstrare volebat Horatius: & id liquet ex ode vltima supe-

rioris libri, qua candidè animum aperit, sibique inter Lyricos arrogat principatum

Sacer cliuus, Capitolij ascensus, quem alibi poeta viam sacram appellat, Capitolio autem nullus in vrbe sacratior locus, ad quem ideò conferebant se victores, acturi gratias Deo, & victimas immolaturi. Merita frons, laurus, qua iidem coronabantur. Sicambri, Galliæ populi, Rheni oram vtramque incolentes, qui Franci postmodùm appellati, Galliæ imperium Romanis extorserunt, quo adhuc felicissimè potiuntur, ante annum salutis quingentesimum, illud fortiter adepti, nec deinceps eo vnquam spoliati, aut modò stet inconcussa in Christum, Christique Vicarium, pietas, vnquam etiam spoliandi: nempe sic cecinit præscius futurorum Remigius, eorundem Francorum Apostolus, cuius autoritati suffragantur alia, singulari contemplatione dignissima.

Me tener soluet vitulus; ligatus, siue obligatus eram voto, quo me soluet vitulus, quando à me mactabitur. Nam dicimur vota soluere, & votis solui, dum præstamus, quod vouimus. Porrò vitulus, de quo Poeta, fuluus erat totus, si niueam, siue candidam notam vnam excipias. Ignes curuati Lunæ, tertium ortum referentis; apparens Luna, tertiò ab ortu die: tunc modicè cornuta, seu falcata.

ODE II.

Ad Melpomenen.

QVem tu Melpomene ſemel
Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem; non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem; neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quòd Regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio:
Sed quæ Tybur aquæ fertile præfluunt,
Et ſpiſſæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem.
Romæ principis vrbium
Dignatur ſoboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Et iam dente minùs mordeor inuido.
O teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum Pieri temperas,
O mutis quoque piſcibus
Donatura cycni, ſi libeat, ſonum,
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd monſtror digito prætereuntium,
Romanę fidicen lyræ;
Quòd ſpiro,& placeo,ſi placeo tuum eſt.

Quem tu Melpomene femel nafcentem placido lumine videris, cuius natalem diem benigno afpectu fortunauerit Mufa: illum non labor Ifthmius clarabit pugilem; is neque in Ifthmicis ludis palmam referet: non equus impiger curru ducet Achaico victorem, neque verò in Olympicis: neque res bellica Deliis ornatum foliis ducem oftendet Capitolio, quòd Regum tumidas contuderit minas, longè minùs, ob fufos fugatofque Reges barbaros, afcendit in Capitolium victor: fed quæ Tybur aquæ fertile præfluunt, & fpiffæ nemorum comæ, fingent Æolio carmine nobilem, verùm Poeta Lyricus, in feceffu Tyburtino fiet.

Melpomene, vna è nouem Mufis, de qua priùs, eius autem afpectum tanti facit hoc loco Poeta, quanti errantium, inerrantiumque ftellarum afpectum, Genethliaci, nec immeritò fanè: nam fingulis cœlis additæ olim ab aliquibus Mufæ fingulæ. Labor Ifthmius, certamen in Ifthmo initum; eft autem Ifthmus, interceptus inter duo maria locus, & quia celeberrimus fuit, qui Ægeum feparabat ab Ionio, hinc præ aliis hic fimpliciter Ifthmus, qui & Ifthmus Corinthiacus, ab vrbe Corintho, in eo fita, vbi quondam inftituti à Rege Sifypho ludi, quos decorabant pugiles induftria fua.

Clarabit, declarabit, pro compofito fimplex: quod apud hunc poetam non infolens. Currus Achaicus, pugna è curru in Elide, quæ portio Achaiæ eft. Delia folia, Delio Apollini confecrata, lauri folia fcilicet: quia Daphne, quam amabat, in laurum eft mutata: dictus Delius Apollo, ab Infula Delo, in qua eft natus.

Pieris, Mufa, cuius vocandi cafus, Pieri: à Pieria Macedoniæ regione, vbi viguit Mufarum cultus; vel certè à Pierio, cuius filiæ nouem aufæ funt Mu-

ſas ad carminum certamen prouocare; ſed victæ ab iis, in picas conuerſæ ſunt, & quia Pierides iſtæ, illæ quoque Pierides appellatæ. Temperare ſtrepitum, citharam pulſare. Lyræ fidicen, lyra canens, Poeta lyricus: pangebat igitur lyricus carmina, ſubindeque decantabat.

ODE III.

QValem miniſtrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnũ in aues vagas
Permiſit, expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flauo;
Olim iuuentas, & patrius vigor,
Nido laborum propulit inſcium
Vernique iam nimbis remotis
Inſolitos docuere niſus
Venti pauentem, mox in ouilia
Demiſit hoſtem viuidus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ:
Qualemve lætis caprea paſcuis
Intenta, fuluæ matris ab vbere,
Iam lacte depulſum leonem,
Dente nouo peritura vidit:
Videre Rhœti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici, quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri

Dextras obarmet, quęrere distuli;
Nec scire fas est omnia: sed diu,
Latéque victrices cateruæ
Consiliis Iuuenis reuictæ
Sensere, quid mens ritè, quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones,
Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in Iuuencis, est in equis, patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas ô Roma Neronibus,
Testis Metaurum flumen, & Asdrubal
Deuictus, & pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per vrbes Afer vt Italas,
Ceu flamma per tedas, vel Eurus
Per siculas equitauit vndas.
Post hoc secundis vsque laboribus
Romana pubes creuit, & impio
Vastata pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos;
Dixitque tandem perfidus Annibal.

Cerui luporum præda rapacium
Sectamur vltro, quos opimus
Fallere, & effugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Iactata Tuscis æquoribus, sacra,
Natosque, maturosque patres,
Pertulit Ausonias ad vrbes,
Duris vt ilex tunsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipso,
Ducit opes, animumque, ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem creuit in Herculem,
Monstrumve summisere Colchi
Maius, Echioniæve Thebæ.
Merces profundo, pulchrior euenit;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos; occidit, occidit
Spes omnis, & fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto.
Nil Claudiæ non perficient manus,
Quas & benigno numine Iupiter
Defendit, & curæ sagaces
Expediunt, per acuta belli.

Ales minister fulminis, aquila est, quæ Iouis fulmina ideò deferre fingitur, quòd & altissimè, &

celerrimè volet; nam celeritate præstant cadentia ex alto fulmina. Eidem aquilæ concessum in aues alias imperium, ob incredibile illius robur, cui adiunctus haudquaquam inferior animus: aliam proponit rationem poeta, ex fabulis petitam, raptum nempe Ganymedis, formosissimi pueri, quem ex Ida Troadis monte, in cœlum Aquila detulit, vbi reiecta Hebe, Iunonis filia, minister adscitus est à Ioue; cùm autem Trois filius esset, non in Ganymedem duntaxat, sed & in Troianos reliquos, Iunonis odium exarsit vehementer, quod tandem erupit in funestum potentissimæ vrbis Troiæ incendium.

Iuuentas, & iuuenta, flos ætatis. Patrius vigor, imò rigor potiùs, ac durities in prolem: nam feruntur aquilæ, pullos nido exigere, implumes ferè, atque à se amandare longiùs, ne tum iis, tum sibi desit præda. Nisus insoliti, conatus præter morem. Rapiunt agnos, & hœdos, aquilæ, rapiunt lepores,& miram circumpositis agris inferunt vastitatem: pugnant etiam in dracones, à quibus implicatæ pereunt aliquando, nec dubitant ceruos ipsos aggredi, quos puluere obcæcatos, & exanimatos metu, de summo monte aliquo tandem agunt præcipites. De caprea, quæ Græcis est δορκάς, actum à me in nott. ad Select. Martial. Epigr.part.4.epigr.53.

Videre Rhœti bella sub Alpibus Drusum gerentem, & Vindelici; qualem Aquilæ pullum, & catulum leonis, sed abstractum ab vbere, conspiciunt feræ aliæ, & aues, talem Rhœti, ac Vindelici, Drusum Neronem, Imperatoris Augusti priuignum, conspexere. Rhœti, Alpium populi, quos Galli vocant, *Grisons*; quod ipsi se canos dixerint, hoc est, veteres, ac primos montium illorum incolas, ad discrimen aduenarum, qui eò subinde accesserunt.

nempe homines antiquos commendat veneranda canities. Finitimi Rhœtis Vindelici, quorum primaria vrbs, Augusta Vindelicorum, nobis hodie, *Ausburg*. Contingunt Vindelicos alia ex parte Boij, nunc vulgo scriptorum Bauari; horum regio Romanis quondam, Noricum. Iam Vindelicis Horatius securim tribuit, à Penthesilea, nobili Amazonum Regina, vti aiunt, inuentam; ex quo & conjiciunt hosce populos ab iisdem bellicosis mulieribus fuisse procreatos; verùm id neque scitum, neque verò quæsitum à poeta, qui videtur Amazonum, siquæ vnquam extiterunt Amazones, & Vindelicorum res pariter, ignorare voluisse.

Nec scire fas est omnia, siquidem qui ex labe originis inflixit inscitiam Deus, cuiusque scientiæ conscripsit certos limites, quos nemini homini licebit arte vlla præterire. Iuuenis, Drusus, de quo priùs: hic hostes victoriis suis inflatos repressit sapientia, quam Horatius referri acceptam vult, non præclaræ Iuuenis indoli tantùm, sed etiam accuratæ institutioni optimi, maximique Imperatoris.

Cateruæ reuictæ, iterum ac sæpius victæ: nam vnica pugna feroces adeò barbari edomari non poterant. Nerones, Drusus, ac Tiberius, Neronis, & Liuiæ, Augusti posteà coniugis, filij; quorum ille in Germania obiit, hic Augusto successit, Romanorum creatus Imperator.

Doctrina sed vim promouet insitam; arbitratur Horatius parentum fortitudinem in liberos deriuari, eius tamen studium educatione iuuari affirmat; est enim educatio diligentis culturæ instar, quæ tenerioribus plantis omninò necessaria, vt citiùs, feliciùsque adolescant. Vtcunque defecere mores, dedecorant bene nata culpæ: at fieri nequit, quin Iuuentus identidem à maiorum deflectat institutis, cùm

verò perpetrata flagitia omnem obſcurant familiæ illuſtris claritudinem; & famam ex bonitate indolis comparatam anteà, penitùs delent.

Metaurus, Vmbriæ fluuius, ad quem Claudius Nero, Conſul, Aſdrubalem, Annibalis, Romanorum hoſtis acerrimi, fratrem, occidit: Metaurum appellatur ab Horatio, quia ei adiunctum eſt flumen: etenim Metaurum flumen, concinnius, ni fallor, quàm Metaurus, vt quod aurem feriat paulo molliùs. Ducebat ſecum Aſdrubal quinquaginta ſex hominum millia, quæ ſi copiis Annibalis coniunxiſſet, graui aliquo Italos mactaſſet infortunio, verùm anteuertit ſingulari vigilantia Nero, & clam ab Annibale diſcedens, collegæ Salinatoris Caſtra ſubiit ſenſim, nec opinantem Aſdrubalem vnà poſtmodùm oppreſſurus.

Pulcher fugatis ille dies Latio tenebris, qui primus alma riſit adorea, quo die reportata de *Aſdrubale* victoria eſt, eo primùm Romanis allata lætitia, quam non ſenſerant: Dirus per vrbes Afer vt Italas, ceu flamma per tedas, vel Eurus per Siculas equitauit vndas; ex quo Annibal Italiam inuaſerat, eique fuerat inſtar flammæ, depaſcentis auidè ſyluam, aut venti, mare acriter concitantis. Pulcher dies, lætus, feſtiuus dies: fugatis tenebris, cuiuſmodi eſt, clarus, ſerenus, nullaque impeditus caligine: ridet igitur is dies, vel ad riſum, atque omnem hilaritatem prouocat potiùs. Adorea, propriè, farris copia, & vbertas; nam ador, & adoreum, farris genus eſſe putant, quod Ζέαν, ſiue Ζεῖαν, Græci, Germani ſpeltam nominant: dabatur autem victoribus adorea, proinde & victoriam ſonat, & conſecutam ex victoria laudem. Porrò ante victum Aſdrubalem, ſibi perpetuò Romani timuerant; poſteà verò cœperunt geſtire lætitia, maiorique alacritate in belli reli-

quias conficiendas incumbere.

Dirus Afer, Annibal, natus in Africa, crudelitate insignis. Inter arbores, quæ facilè ignem concipiunt, tedas recensere meritò possis, siue dicas genus quoddam arboris eas esse, siue pinus, abietes, piceas, larices, exundantis resinæ vitio, in tedas aliquando transire. Sunt qui metaphoram hanc: per siculas equitauit vndas: arguant, quasi minùs idoneam; sed cùm Neptuno tribuantur à Mythologis equi, quidni etiam vento? quandoquidem vterque in mari est. Adhæc, equos habuisse fertur Laomedon, qui super aristas, aquasque, decurrerent; quid igitur absoni, tales Eurum etiam habuisse?

Posthoc, secundis vsque laboribus Romanæ pubes creuit, deinceps euenerunt prosperè nobis omnia: & impio vastata Pœnorum tumultu fana Deos habuere rectos, ædibusque Deorum reparatis, ipsorum statuæ, quas hostes profani deiecerant, reuerenter erectæ. Pubes, Iuuentus, ea nominatim, quæ adscripta militiæ est. Pœnorum tumultus, illatum à Pœnis, seu Carthaginensibus, in Italiam bellum. Fana, templa, delubra.

Cerui luporum præda rapacium sectamur vltro, quos opimus fallere, & effugere est triumphus; nos, inquit Annibal, tanquam cerui, sed stolidi profectò, insequimur lupos, quos, si saperemus, deceret omni arte, conatuque, declinare; alioqui tandem ab iis lacerabimur luporum præda, futuri videlicet: hos igitur effugere, est quodammodò triumphare.

Gens, quæ cremato fortis ab Ilio, Iactata Thuscis æquoribus sacra, natosque, maturosque patres, pertulit Ausonias ad vrbes; Romani, ab incensa Troia profugi, variis in mari Tyrreno procellis agitati, peruenerunt in Italiam feliciter, ibique se, ac sua ge-

nerosè collocarunt: id verò scribitur de pio Ænea in primis, qui sacra patria, cum Anchise, & Iulo, secum Ilio euexit. Vrbes Ausoniæ, Italæ: Ausonia enim Italia dicta est, ab Ausone, siue Ausonio, Vlyssis, & Calypsus filio: siquidem Calypso, vel ab Atlante, vel ab Oceano, si Superis placet, orta, cùm regnaret in Ogygia insula, & Vlyssem naufragum excepisset, ex eo suscepit Ausonem, siue Ausonium hunc, qui inde concessit in Italiam, eique nomen suũ imposuit.

Duris vt ilex tonsa bipennibus, nigræ feraci frondis in Algido, per damna, per cædes, ab ipso ducit opes, animumque, ferro; quemadmodum recisæ securibus Algidi montis ilices fruticant lætiùs: ita Romani, bellicis attriti cladibus, vehementiùs enituntur.

Non Hydra secto corpore firmior vinci dolentem creuit in Herculem, haud absimiles Hydræ, quo plures ex iis intereunt, eo plures renascuntur. Fuit Hydra multorum capitum serpens, in Lerna palude, prope Argos, quæ cùm totam regionem illam infestaret grauiter, neque ferro coerceri facilè posset; quòd abscisso vno capite, statim alia succrescerent, flammis tandem ab Hercule consumpta est.

Colchorum monstrum, Draco peruigil, aurei velleris custos, quem Medeæ consilio interfecit Iason, & vellus aureum rapuit: Draconem alium interfecit etiam Cadmus, vt ab eo illatam sociis necem vlciscerentur: porrò ex draconis vtriusque dentibus, in terram abiectis, finguntur nati homines, quos respicere videtur Annibal, Romanisque conferre. Thebarum autem meminit, quia in Thebano agro id prodigij accidit: & quanquam vulneribus mutuis perierunt anguigenæ illi, superstes tamen Echion, vnà cum Cadmo, Thebas condidit, iisque post Cadmum præfuit: hinc haud iniuria Echioniæ dictæ.

Mersare, sæpius mergere: quoties ergo Romanos aquæ imæ immerseris, toties emergent inde vegeti, atque alacres: luctere multa proruet integrum cum laude victorem; quoties humi straueris, toties te, triumphantem iam gaudio fœdissimè sternent: geretque prælia coniugibus loquenda, & vel ipsis mulieribus propinabunt liberaliter deridendum.

Nil Claudiæ non perficient manus, nihil Neronibus in posterum difficile factu fuerit: quas & benigno numine Iupiter defendit, & curæ sagaces expediunt per acuta belli; opi enim diuinæ, qua fulti sunt singularem adiungunt industriam, ac studium, sic autem & propulsant hostium impetum, & solertiam negotio nullo eludunt.

ODE IV.

Ad Augustum.

DIuis orte bonis, optime Romulæ
Custos gentis, abes iam nimiùm diu,
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuę dux bone patriæ
Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles meliùs nitent.
Vt mater Iuuenem, quem notus inuido
Flatu, Carpathij trans maris æquora,

Cunctantem spatio longiùs annuo
Dulci distinet à domo,
Votis, ominibusque, & precibus vocat,
Curuo nec faciem littore demouet;
Sic desideriis icta fidelibus
Quærit patria Cæsarem.
Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare nauitæ;
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos & lex, maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperæ;
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paueat? quis gelidum Scythē?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cęsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores,
Hinc ad vina redit lætus, & alteris
Te mensis adhibet Deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, & Laribus tuum
Miscet numen, vti Græcia Castoris,
Et magni memor Herculis.
Longas ô vtinam dux bone ferias
Præstes Hesperiæ, dicimus integro
Sicci manè die; dicimus vuidi,
Cùm Sol Oceano subest.

Diuis orte bonis, optime Romulæ custos gentis, abes iam nimiùm diu, longior est absentia tua, quàm vt eam possimus ferre diutiùs, ô Cæsar, à Diis oriunde. Dij sunt, Mars, Romuli pater, & Venus mater Æneæ, Iulia enim gens, cui erat insertus Augustus, ab vtroque prodierat. Boni Dij, beneuoli, ac benefici. Gens Romula, Romana à Romulo: à quo item appellata frequentiùs Romulea est.

Patrum concilium, Senatus; quem Maro sanctum pariter dixit, à sancio: nam leges sancire, Senatus est. Quanquam & sanctus vocari potest à morum integritate, quam profitetur, & cuius beneficio, inuiolabilis perpetuò est, adeóque sacrosanctus.

Lucem redde, nobis enim pro Sole es, & pro verna tempestate, quæ dies iucundiores parit, maioremque claritatem, discussa hyemis molestæ caligine. Vt mater Iuuenem, quem notus inuido flatu, Carpathij trans maris æquora, cunctantem spatio longiùs annuo, dulci distinet à domo, votis, ominibusque, & precibus vocat; quemadmodùm appellat absentem filium mater, in transmarina regione aliqua, ventorum vi, detentum: curuò nec faciem littore demouet, sæpiusque ad infesti maris oras respicit: sic desideriis icta fidelibus quærit patria Cæsarem; ita tuum expectat, & optat reditum Roma, Auguste Imperator. Notus, νότος, Latinis Auster, de quo alibi. Carpathus, quæ & aliquando per metathesin, Crapathus, Mediterranei maris Insula, Cretam inter, & Rhodum, appellationem suam vergenti ad Ægyptum tractui olim indidit, qui proinde Carpathius.

Tutus bos etenim rura perambulat, ex præsentia Cæsaris, maxima deriuantur in remp. commoda; nam securi agros colunt Aratores: nutrit rura Ceres, almaque Faustitas, segetes copiosè proueniunt:

Pacatum volitant per mare nauitæ, nullus Piratarum in mari est metus: culpari metuit fides, nulla fraus, in commerciis.

Nullis Polluitur Casta domus stupris., exulant à familiis illustribus adulteria: mos, & lex, maculosum edomuit nefas, flagitia reliqua, & exemplo Cæsaris, & imperio, cohibentur: Laudantur simili prole puerperæ, similes matribus generantur ferè liberi, ex quo earum intelligitur pudicitia singularis: culpam pœna premit comes; culpas pænæ consequuntur.

Quis Parthum paueat? quis gelidum Scythem? quis Germania quos horrida parturit fœtus, incolumi Cæsare? quandiu sospes erit Augustus, neque Parthi, neque Scythæ, nec verò etiam Germani, terrorem incutient: quis feræ bellum curet Iberiæ? longè minùs tumultuantes Hispani.

Condit quisque diem collibus in suis, Rusticantur ciues in prædiis: & vitem viduas ducit ad arbores, iungunt vlmis, aliisque huiusmodi arboribus, vites: hinc ad vina redit, lætus, & alteris te mensis adhibet Deum; posteà indulgent genio, & ad secundas mensas, te quasi numen aliquod persanctè venerantur.

Te multa prece, te prosequitur mero defuso pateris; tibi preces fundunt, & vinum de pateris fusum libant, & Laribus tuum miscet numen, vti Græcia Castoris, & magni memor Herculis; teque cum Diis Penatibus inuocant, eo ritu, quo Castorem, Pollucem, atque Herculem, Græci, à quibus Heroes isti, ex mortalibus, facti sunt immortales.

Longas ô vtinam dux bone ferias præstes Hesperiæ; vtinam, Imperator, diuturnam Italiæ quietem pares: dicimus integro sicci manè die; id horis matinis, ante prandium: dicimus vuidi, cùm Sol Ocea-

no ſubeſt; id ſerotinis poſt cœnam flagitamus. Sicci, ieiuni : vuidi, vino madidi, bene poti. Solem noctu ſub Oceano eſſe credebant veteres, Aſtrologiæ ignari.

ODE V.

In Apollinem, & Dianam. Carmen ſæculare.

DIue, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityoſque raptor
Senſit, & Troiæ propè victor altæ
Phthius Achilles,
Cęteris maior, tibi miles impar;
Filius quamvis Thetidis marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuſpide pugnax :
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulſa cupreſſus Euro,
Procidit latè, poſuitque collum in
Pulnere Teucro :
Ille non incluſus equo Mineruę
Sacra mentito, malè feriatos
Troas, & lętam Priami choreis
Falleret aulam;
Sed palàm captis grauis, heu nefas, heu,
Neſcios fari pueros Achiuis
Vreret flammis, etiam latentes

Matris in aluo;
Ni tuis victus, Venerisque gratæ
Vocibus Diuûm pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutę fidicem Thaliæ
Phœbe, qui Xantho lauis amne crines,
Daunię defende decus camœnæ
Lęuis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit Poetæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Delię tutela Deæ, fugaces
Lyncas, & ceruos cohibentis arcu,
Lesbium seruate pedem, meique
Pollicis ictum,
Ritè Latonæ puerum canentes,
Ritè crescentem face noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Voluere menses.
Nupta iam dices; ego Diis amicum,
Sęculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati,

Niobe, Amphionis, Thebarum Regis vxor, cùm ex eo septem filios, totidemque filias peperisset, Latonæ præferre se ausa est, quare Apollo filios, filias Diana, sagittis confixit, vt ait Hyginus, Fabul. 9.

Horum omnium cædem graphicè depingit Ouidius, Metam. lib.6. Magna lingua ea est, quæ demisse non loquitur, sed superbè, & proteruè; hinc Deum meritò sentit vindicem.

De Tityo suprà; is, Homero teste, Latonam rapuerat, ei vitium oblaturus: verùm à Ioue, vt ait Hyginus, Fabul. 55. interfectus est, vel certè, vt Horatius hoc loco, ab Apolline.

Phthius Achilles, à Phthia, Thessaliæ ciuitate, ipsius patria, matrem habuit Thetidem, Nerei filiam, Oceani Neptem, & Pelei, Thessaliæ Regis, vxorem: Troiæ propè victor, prostrauit enim Hectorem, quo stante statura Troia erat: hunc vel ipse Apollo confecit, vel Apollinis consilio Paris. Dardanæ turres, à Dardano, Ilij conditore. Cuspis, pro hasta, quam vibrare Achilles solus poterat. A Teucro, Scamandri filio, Dardani socero, Troiani etiam Teucri, vnde intelligis, quis Teucer nunc puluis, in quo iacuit Achilles.

Ille non inclusus equo, Mineruæ sacra mentito, malè feriatos Troas, & lætam Priami choreis falleret aulam; Dolis ille aggressus hostes non esset, nec sese inclusisset in equum ligneum, quo religionis falsa specie obsessos ciues deciperet: sed palam captis grauis, heu nefas, heu nescios fari pueros Achiuis vreret flammis, etiam latentes matris in aluo; verùm aperta vi occupasset vrbem miseram, & obuios quosque flamma, ferroque absumpsisset, neque sexus, aut ætatis, vllam habuisset homo ferox rationem.

De ligneo equo, quem Mineruæ dicatum mentiti erant Græci, eleganter Virgilius, Æneid. lib. 2. sub initium. Malè feriati Troes, malo suo ponentes arma, & saltationibus, tripudiisque, perperam indulgentes.

Ni tuis victus, Venerisque gratæ vocibus, Diuûm Pater annuisset rebus Æneæ potiore ductos alite muros; idcircò seruati Troiani aliqui, Æneas imprimis, quia expugnatus Apollinis, Venerisque, obsecrationibus, Iupiter, concessit, vt ex ruinis incensæ vrbis, Roma olim exsurgeret, non ante orbis huius interitum, ruitura. Venerem ait gratam Horatius, vel quod Ioui accepta sit, vel quod accepti à Paride beneficij memor, quando Palladi, Iunonique prælata. Muri ducti: extructi, ducto tamen antea sulco: potiore alite, melioribus auspiciis.

Doctor Thaliæ Phœbus, imò Musarum omnium reliquarum. Xanthus, Græcè ξανθὸς, flauus, luteus quod pota eius aqua, tali oues colore imbueret, Scamander item dictus; cùm autem Phœbi crines sint flaui, siue lutei, iure in eo fluuio lauari affirmantur. Daunia Camœna, est Apuliæ Musa, ideóque Horatiana; nam ex Apulia, vti dictum, Horatius. Agyieus, Apollo, siue Phœbus, quòd ei in viis publicis, ex responso sacrificaretur ab Atheniensibus, quibus ἀγυιαὶ vici sunt, siue intra pomæria viæ: sic Macrobius, & ex eo Cibenius. Læuis autem Apollo, quia imberbis, & imberbis, quia cùm idem sit, ac Sol, nunquam profectò Sol senescit, nam quotidie nascitur.

Virginum primæ, patriciæ: pueri claris patribus orti; patricij, seu primariæ nobilitatis: Deliæ tutela Deæ, quorum curam suscipit Diana: fugaces Lyncas, & ceruos cohibentis arcu; quæ Lynces, & ceruos, velocissima enim verò animalia, quantumuis enixè fugiant, sagittis assequitur: Lesbium seruate pedem, meique pollicis ictum, obseruate versuum istorum numeros, & citharæ prætereà meæ sonum: ritè Latonæ puerum canentes, Apollinem, Latonæ filium, celebrate: ritè crescentem face noctilucam,

prosperam frugum, celeremque pronos voluere menses; celebrate Dianam, noctu in cœlis emicantem, prosperantem fruges, & mensium præpropero cursui moderantem. Crescens face Diana, quæ & Luna; quia singulis diebus nouum accipit lumen, donec facem, siue faciem totam, eo plenam circumferat: tunc verò frugum prospera est, abundat enim cœlesti quodam succo, quem in fruges, ac plantas omnes, adeóque in animalia ipsa deriuat copiosè: celer voluere, celeriter voluens: pronos menses, in casum inclinatos, & sua veluti sponte spectantes interitum.

Nupta iam dices, allocutus poeta puellas nubiles, modò alloquitur recèns nuptas, aitque dicturas: ego Diis amicum, sæculo festas referente luces, reddidi carmen, docilis modorum vatis Horati; nos, anno sæculari redeunte, in Deorum honorem, Odam ab Horatio conscriptam cecinimus. Carmen Diis amicum; versus, Apollinis, Dianæque encomiis pleni, nec iniuria sanè; nam ij metiuntur sæcula, diebusque, & noctibus, ex diuina scriptura, iam inde ab orbe condito, præsunt. Festæ luces; dies absoluto sæculo feriati; quippe lucis præsentia dies efficit, & absentia noctes. Reddere carmen, repræsentare. Modorum docilem appelles, quem videas numeros attendentem poeticos, & musicorum instrumentorum harmoniæ seruientem: nam ex alibi ab Horatio dictis, exploratum est satis, carmina lyrica fuisse ad lyram decantata; cur enim, amabo, lyrica? & cur alioqui, præses eorum Apollo, fidicen?

ODE VI.

Ad L. Manlium Torquatum.

DIffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comæ;
Mutat terra vices, & decrescentia ripas
Flumina prætereunt:
Gratia, cum Nymphis, geminisque sororibus, audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres monet annus, & almũ
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris; ver proterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit;& mox
Bruma recurret iners:
Damna tamẽ celeres reparant celestia Lunæ.
Nos vbi decidimus,
Quò pius Æneas, quò Diues Tullus, & Ancus,
Puluis, & vmbra sumus.
Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dij superi?
Cuncta manus auidas fugient hæredis, amico
Quæ

Quæ dederis animo.
Cùm semel occideris , & de te splendida
Minos
Fecerit arbitria,
Non Torquate genus,non te facundia,non te
Restituet pietas :
Infernis neque enim tenebris Diana pudicū
Liberat Hippolytum ;
Nec lethęa valet Theseus abrumpere charo
Vincula Pirithoo.

Diffugêre niues ; vel validioribus Solis radiis,vel tepidis ventorum flatibus, solutæ. Redeunt iam gramina campis , arboribusque comæ ; herbis campi, arbores foliis , vestiuntur. Mutat terra vices , alia modò terræ facies : & decrescentia ripas flumina prætereunt ; non exundant ampliùs fluuij , sed suis clausi alueis , in mare decurrunt præcipites. Nugas agunt , inquit Bondius , qui decrescentia , vulgata notione ibi accipiunt ; nam decrescere hîc significat , valdè crescere , ripasque transcendere : verùm alucinatur vir minimè malus ; quia enim diffugêre niues, neque adsunt pluuiæ , siquidem Gratia , cum Nymphis, geminisque sororibus , non auderet choros ducere nuda ; vnde quæso , intumescerent flumina , ripasque transcenderent ? Adhæc , describit Horatius amœnam veris temperiem , quam dubio procul grassantia , per sata , & prata, flumina interturbant. Quòd verò prætereant ripas , id nullum tumorem arguit , sed eorum velocitatem tantùm indicat, quam faciliùs videas , consistentibus intra ripas,quàm extra effluentibus aquis.

Gratia , cum geminis sororibus;Aglaia, cum Tha-

lia,& Euphrosyne, de quibus, inter alios, Phornutus. Adiunguntur Gratiis Nymphæ, quæ longè plures Gratiis; arbitror autem Naiades præ reliquis à Poeta designari; nam iucundi ad fontes, ac fluuios, eiusmodi virginum, verno tempore, chori.

Immortalia ne speres monet annus, & almum quæ rapit hora diem; immò verò monet vt speres, & expetas, non quidem hîc, vbi fluxa, & caduca omnia, sed illic, vbi fixa, & æterna: siquidem bona ea diligimus, quæ maximè constant sibi, constanterque adhærent nobis: quæ citò præteruolant, vt beatæ Immortalitati, quam, si sapimus, ambimus, contraria, prudentes auersamur.

Frigora mitescunt zephyris, frigus hyemis fauonij calore temperatur: ver proterit æstas, vernum tempus æstati loco cedit: interitura, simul pomifer autumnus fruges effuderit, hanc autem autumnus excipiet: & mox Bruma recurret iners; hyems verò subinde autumnum; sicnempe perpetuat tempestatum vicissitudo fiet: damna tamen celeres reparant celestia Lunæ; astra enim huic inseruiunt vicissitudini, acceptaque terrestrium corporum detrimenta resarciunt. Ver proterit æstas, metaphora est, nam proterere, est pedibus calcare; quæ ita calcantur, deteruntur, ac pereunt: perit igitur ver, æstate accedente. Simul, id est, simul ac, simul atque, posteaquam: pomifer autumnus fruges effuderit; producit quidem & suas fruges æstas, at poma autumno præcipuè debentur. Bruma, propriè initium hyemis, ad solstitium hybernum, circa XII. Kal. Ianuar. cùm breuissimi sunt dies, & Sol primùm ad nos redit: nam inde proferunt hyemem Astronomi ad æquinoctium vernum: sed aliam ineunt rationem Poetæ, nec perpetuum discrimen faciunt inter hyemem, & brumam.

Nos vbi decidimus, quò pius Æneas, quò Tullus Diues, & Ancus, puluis,& vmbra sumus:non id euenit corporibus nostris, quod scripsimus terrestribus ilis euenire: nam vt primùm ab animis destituta sunt, rediguntur in puluerem, neque vnquam ad priorem formam redeunt. Ita scilicet censebat de corporibus, alienus à diuina fide homo, qui de futura hominis, pietate præstantis, gloria, nihil penitùs audierat: Animorum nihilominùs callebat vtcunque naturam; eos enim, non ab obitu consistere duntaxat, sed & in quæstionem grauissimam significat, apud Inferos, postulari.

Decidere,quò pius Æneas, quò Tullus diues, & Ancus, in Tartarum delabi,tum maximè, cùm necdum à Christo apertum esset cœlum. Æneas,ex Maronis Æneide, cuilibet notus. Ancus Martius,Tullus Hostilius, Reges Romanorum, à Græcis historicis, Latinisque, celebrati.

Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ tempora Dij superi? æque igitur certa mors, vt incerta est vita, quandoquidem ignoramus, an ad crastinum peruenturi simus diem, quem à Superis expectandum Horatius docet,vt qui ab iisdem habeamus hodiernum, reliquosque à crepundiis elapsos.

Cuncta manus auidas fugient hæredis,amico quæ dederis animo, quidquid in animi salutem insumpseris, id tuum reuera erit, nec explebit cupiditatem hæredis, quam non decet vtilitati tuæ anteponere. nimirùm eò detorquenda fuit profani poetæ sententia,quæ aliò apertè spectabat.

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos fecerit arbitria, postquam excesseris è vita, & iudicium extremum subieris: non Torquate genus, non te facundia, non te restituet pietas; neque te ad eam reuocabit familiæ amplitudo, nec studium elo-

quentiæ, neque feruidus Deorum immortalium cultus. Minos, inferorum arbiter, ac Iudex, cuius ideò arbitrium idem atque iudicium: at cur splendidum, inquies? existimo, quia magno apparatu factum: nam & Iudex eximiæ dignitatis est, & eximiæ nobilitatis reus, causa verò omnium aliquando dicendarum grauissima.

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum liberat Hyppolytum; exemplo duplici confirmat pronunciatum suum Horatius: primum est Hippolyti, quem Diana Tartaro nondum eduxit: nec lethæa valet Theseus abrumpere charo vincula Pirithoo, Pirithoi alterum, cuius vincula cùm perfringere Theseus vellet, in ea ipsemet est coniectus. Dianæ in Hippolytum amor prodiit ex pudicitiæ amore, quo flagrauit Hippolytus, & ex venandi studio, cui operam aliquandiu cum Diana ipsa dedit: sed à Phædra nouerca, quæ castissimum Iuuenem ad *stuprum* inuitarat, repulsamque tulerat, accusatus apud Patrem, domo fugere est coactus, at mors breui occupauit fugientem: dum enim curru veheretur in littore emergentia è mari monstra tantum equis terrorem incusserunt, vt miserum vectorem discerperent: Ouidius tamen, Metam. lib. 15. ait eum Dianæ rogatu, ab Æsculapio ad vitam reuocatum, appellatumque deinceps Virbium, cuius curæ creditum sit Aricinum in Latio nemus, vbi vnus è Diis minoribus habitus quoque iste Virbius.

ODE VII.

Ad Martium Cenſorinum.

DOnarem pateras, grataque commodus,
Cenſorine, meis æra ſodalibus;
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum; neque tu peſſima munerum
Ferres: diuite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;
Hic ſaxo liquidis ille coloribus,
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum:
Sed non hæc mihi vis, non tibi talium
Res eſt, aut animus deliciarum egens:
Gaudes carminibus, carmina poſſumus
Donare, & pretium dicere muneris.
Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus, non celeres fugæ,
Reiectæque retrorſum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clariùs indicant
Laudes quàm Calabræ pierides; neque,
Si chartæ ſileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ,
Mauortiſque puer, ſi taciturnitas

Obſtaret meritis inuida Romuli ?
Ereptum ſtygiis fluctibus Æacum,
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum, diuitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori ;
Cœlo Muſa beat. Sic Iouis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules :
Clarum Tyndaridæ ſidus, ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates :
Ornatus viridi tempora pampino
Liber, vota bonos ducit ad exitus.

Donarem pateras, argentea pocula : grataque æra, & ſtatuas æreas : commodus, ſic verò, amicis commodarem. Commodos Gallicè appellamus eos, qui facilè obſequuntur aliis, nec ſeſe moroſos *præbent* Donarem tripodas, præmia fortium Graiorum : mirari deſinet, Heroibus datos tripodas in Græcia, qui apud Homerum legerit, iiſdem datos etiam lebetes : nimirum Antiqui dabant, ad vitam traducendam vtilia.

Diuite me artium, ſi Grammaticorum obſeruaris placita, dixeris : donarem artium diues : diues autem artium, vel illarum peritus, vel ab illis opulentus : quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas ; Parrhaſius, inſignis quondam pictor, Scopas autem ſculptor nobilis : vterque artem ſuam protulit, palàm fecit, illuſtrauit : ſolers ponere, helleniſmus, qui poſſit ſolerter, atque induſtriè, ponere, quod eſt, facere, fingereve : nunc hominem, nunc Deum, modò humanum, modò item diuinum ſimulachrum aliquod. Sed non hæc mihi vis ; atqui ea facultate non polleo : non tibi talium res eſt, aut animus de-

liciorum egens, & quamvis pollerem, haudquaquam exigeres; tanta enim similium operum domi tuæ copia, vt homini vel cupidissimo sint satis.

Non tibi talium res est egens, res tua domestica, & familiaris, talia non desiderat, quia iis abundat: non animus: animus autem, longè minùs, vtpote qui feratur ad alia: gaudes carminibus, ad poeticas lucubrationes videlicet: carmina possumus donare, hîc enimverò tibi morem gerere licet: & pretium dicere muneris, & lucubrationum huiusmodi iustum pretium indicare.

Non incisa notis marmora publicis, erecta, cum elogio, Senatus, populique Romani iussu, statua: per quæ spiritus, & vita redit bonis post mortem ducibus; quod publicum testimonium eximios belli duces immortalitati consecrat: non celeres fugæ, reiectæque retrorsum Annibalis minæ; retractus ab Italia in patriam suam Annibal: non incendia Carthaginis impiæ, capta denique, incensaque Carthago: eius, qui domita nomen ab Africa lucratus rediit, clariùs indicant laudes, Scipionem Africanum illustriorem non faciunt: quàm Calabræ Pierides, quàm vna Ennij poetæ commendatio.

Notæ publicæ non statuarum duntaxat, verum etiam tabularum, & nummorum erant: in statuis, atque tabulis, inscribebantur sæpius hæ duæ litteræ, D.D. vel item istæ quatuor, ad sepulchra: L.D. D.D. priores, Decreto Decurionum: posteriores, locus datus decreto Decurionum. In nummis, hæ duæ, S. C. Senatusconsulto. Plura suggerent Antiquarij, quos tu consule.

Incisas notas Horatius, insculptas litteras vocat, quòd reuera inciderentur in marmoribus, lapidibusve aliis, scalpro; non penicillo, calamove, appingerentur fallitur autem Bondius, quando ait, no-

tis ferè tunc vsos veteres, quòd loci angustiæ, siue in arcuum triumphalium fronte, siue in statuarũ basi, integrè perscribere omnia non sinerent, litteras enim adhibebant singulares, non rarò; notas autem propriè dictas nunquam: supersunt hodie monumenta eiusmodi veterum plurima, quæ hanc scribendi rationem demonstrent: & id quidem admodùm sapienter ab iis factitatum, cùm enim egregia magnorum virorum facinora transmittere sic ad posteros vellent, frustra fuissent, si notis essent vsi, nam earum intelligentia paucorum duntaxat notariorum erat, ad nos minimè deriuata, si paucas excipias tamen, quas ab obliuione vindicauit Ianus Gruterus, è Tyrone, ac Seneca.

Rediit in Italiam, lucratus nomen ab Africa Scipio, quia dictus inde Africanus: amauit autem in paucis Ennium, Rudiis natum, quod oppidum Calabriæ est, sed Romæ posteà educatum, vbi multa conscripsit stylo rudi, sed qui ea ætate, rudi pariter, nequaquam displiceret; hinc Horatius putat, vnius eius carmina tantum contulisse ad laudem Scipionis Africani, quantum reliqua omnia Romanorum ciuium monumenta.

Neque si chartæ sileant quod bene feceris, mercedem tuleris; viri magni ex rebus præclarè gestis reportare cupiunt famam, huic verò scriptores præcipuè seruiunt, qui si tacent, consenescit breui, atque adeò penitùs interit.

Romulus, puer; filius, vt alibi non semel: Iliæ, Rheæ, Numitoris, Albanorum Regis, filiæ: Mauortisque, & Martis, qui Mauors, quasi mares vorans, dicitur, inquit Albricus Philosophus: nempe Mars bellorum Deus est, bella autem marium, quos quando absumunt, quodámmodò vorant. Quid foret? idem ac nihil foret; nihil foret autem, quia

nihili foret, seu nullius nominis: porrò qui nullius nominis sunt, nullo sunt loco, apud homines; tales tamen proculdubio, qui nullos nacti suarum laudum præcones, contra quàm euenerit Romulo, Æaco, Herculi, Castori, Polluci, & Libero Patri, quos ex mortalium exemptos numero, in Deorum immortalium ordinem Poetæ retulerunt: & Romulus quidem Quirinus appellatus est; Æacus, Inferorum Iudex factus: adhibitus mensæ Iouis Hercules; Castor, & Pollux, nauigationibus præfecti: Liber Pater, siue Bacchus, fortunare vota creditus.

Diuites insulæ, seu beatæ, ac fortunatæ sunt Elysij campi, quos vndique ambiunt decantata illa Inferorum flumina, quæ priùs à nobis appellata sunt. Cœlo beare, Cœlitibus adiungere aliquem, diuinos ei honores decernere: id verò facit Musa, quoties egregia illustris viri facinora egregiis carmnibus illustris Poeta celebrat; ex Horatij scilicet Poetæ sententia.

Tyndaridæ, Castor, & Pollux, filij Ledæ, cuius maritus Tyndarus, Oebali filius, Laconum Rex, dicuntur autem clarum sidus, quia Mythologi plerique volunt eos assumptos in cœlum, & sideribus insertos, esseque clarum illud Geminorum in Zodiaco signum, de quo in Phænomenis Aratus, aliique deinceps Astronomi.

ODE VIII.

Ad Lollium.

NE fortè credas interitura, quæ
Longè sonantem natus ad Aufidum,
Non antè vulgatas per artes,
Verba loquor socianda chordis;
Non si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Cææque, & Alcæi minaces,
Stesichorique graues camœnæ:
Nec si quid olim lusit Anacreon,
Deleuit ætas; spirat adhuc amor,
Viuuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non sola comptos arsit adulteri
Crines, & aurum vestibus illitum,
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacæna;
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata; non pugnauit ingens
Idomeneus, Sthenelusve solus,
Dicenda Musis prælia; non ferox
Hector, vel acer Deiphobus, graues
Excepit ictus, pro pudicis
Coniugibus, puerisque, primus.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique, longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulùm sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impunè, Lolli, carpere liuidas
Obliuiones: est animus tibi,
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus, dubiisque rectus;
Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ;
Consulque non vnius anni,
Sed quoties bonus, atque fidus
Iudex honestum prætulit vtili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes cateruas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaueris
Rectè beatum; rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque letho flagitium timet;
Non ille, pro charis Amicis,
Aut patria, timidus perire.

Aufidus, Apuliæ fluuius, qui anteà violens ab Horatio dictus, nunc verò longè sonans, ob excitatum in suo cursu strepitum.

Ne fortè credas interitura, quæ non antè vulgatas per artes verba loquor sociandi chordis: lyrica carmina mea hæc tametsi apud Italos noua, immortalia tamen futura pronuntio, vtcunque concinnata sint. Non si priores Mæonius tenet sedes Homerus, Pindaricæ latent, Ceæque, & Alcæi minaces, Stesichorique graues camœnæ; siquidem, in Græcorum Poetarum consessu, primum Homerus, epicus, facilè obtinet locum; non propterea excluduntur inde Pindarus, Simonides, Alcæus, & Stesichorus, omnes lyrici. Nec, si quid olim lusit Anacreon, deleuit ætas: spirat adhuc amor, viuuntque commissi calores Æoliæ fidibus puellæ: lyrici pariter, Anacreon, & Sappho, quorum amatoria carmina feliciter ad nostram ætatem peruenerunt.

Homerus Mæonius, à Mæonia, quæ & Lydia, minoris Asiæ regione, cui natales eius nonnulli scriptores tribuunt. Cea, siue Cæa, Ægei maris insula, vnde ortus Simonides. De Alcæo iam diximus, huius camœnæ minaces, quia quosdam ciues improbos verborum vi exulare coegit. Stesichorus, ex Himera quidem Siciliæ vrbe ortus est, annumeratur tamen in Græcorum Poetarum grege, quanquam fertur Sicilia Italiæ quondam fuisse pars; etenim Græcè scripsit Stesichorus. Æolia puellæ; Sappho, nata in Lesbo insula, quæ spectat ad Æoliam, seu Æolidem, minoris Asiæ prouinciam, & in mari Æolio sita est: mascula, Sappho dicta, non sanè propter masculum, virilemque animum, sed propter insanum amorem in mares potiùs quem non erubuit petulanter euulgare: mares autem iisdem atque masculi.

Non sola comptos arsit adulteri crines, & aurum vestibus illitum mirata, rega esque cultus, & comites, Helene Lacæna; non vna Helene adulteri Par dis amore flagrauit vehementissimo, quem ex aduenæ pulchritudine singulari, ornatu, cultuque regio, & illustri venustorum familiarium tu ba, hauserat: primusve Teucer tela Cydonio direxit arcu, neque Telamonis filius Teucer, in Creta insula, bellum gessit, omnium primus: non semel Ilios vexata; non vnica fuit in Troiam suscepta expeditio: non pugnauit ingens Idomeneus, Sthenelusve solus, dicenda Musis prælia: præter Idomeneum, & Sthenelum, alij extitere principes, militia clari: non ferox Hector, vel acer Deiphobus, graues excepit ictus, propudicis coniugibus, puerisque primus; pro aris, & focis, decertarunt, ante Hectorem, Deiphobumque plurimi: vixere fortes ante Agamemnona multi, neque verò antiquissimus virorum fortium Agamemnon: sed omnes illacrymabiles vrgentur, ignotique longa nocte, carent quia vate sacro: at qui Poetarum opera in lucem educti non sunt, perpetuis iacent tenebris inuoluti.

Paulùm sepultæ distat inertiæ celata virtus, exiguum magnanimitatem inter, ignauiamque, discrimen, vbi vtraque sepulta silentio fuerit. Non ego te meis chartis inornatum silebo, totve tuos patiar labores impunè, Lolli, carpere liuidas obliuiones; quare non committam vt Lollij mei pulcherrima facinora posterorum memoriam fugiant.

Est animus tibi, rerumque prudens, & secundis temporibus, dubiisque, rectus: Ingenio sagaci pollet Lollius, atque prouido; & ad aduersam fortunam, æquè vt prosperam, fortiter ferendam, com-

parato: vindex auaræ fraudis, & abstinens ducentis ad se cuncta pecuniæ; alieno insuper à fraudibus, & pecuniarum minimè cupido: consulque non vnius anni; cui non annuus duntaxat magistratus debeatur: sed quoties bonus, atque fidus iudex honestum prætulit vtili, verùm perpetuus, dummodò in sententia ferenda honestatem vtilitati anteponat: & reiecit alto dona nocentium vultu, constanter improborum respuat munera: & per obstantes cateruas explicuit sua victor arma, neque se à vulgi opinionibus transuersum agi vllo pacto patiatur.

Non possidentem multa vocaueris rectè beatum, qui opibus affluit, non ideò beatus censendus est: rectiùs occupat nomen beati, qui Deorum muneribus sapienter vti, duramque callet pauperiem pati; sed verè beatus ille, qui fortunæ bona; vbi adsunt, accepta Superis refert, iisque moderatè vtitur: si quando autem absunt, abesse animo æquissimo patitur: peiúsque letho flagitium timet, qui ne morte quidem proposita, in se vllum admittit vltro scelus: non ille pro charis Amicis, aut patria, timidus perire, qui pro popularium, Amicorumve dignitate, vitam, vbi res tulerit, profundere non veretur.

ODE IX.

Ad Virgilium.

IAm Veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animę lintea Thraciæ;
Iam nec prata rigent, nec fluuij strepunt
Hyberna niue turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quòd malè barbaras
Regum eſt vlta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ouium carmina fiſtulâ,
Delectantque Deum, cui pecus, & nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere ſitim tempora, Virgili;
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, Iuuenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere:
Nardi paruus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare nouas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quę ſi properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena diues vt in domo.
Verùm pone moras, & ſtudium lucri,
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Miſce ſtultitiam conſiliis breuem.
Dulce eſt deſipere in loco.

Iam Veris comites, quæ mare temperant, impellunt animæ lintea Thraciæ, nunc primùm aſpirant nauium velis Fauonij: iam nec prata rigent, nec fluuij ſtrepunt hyberna niue turgidi, neque à glacie prata horrent ampliùs, neque à niue flumina intumeſcunt.

Animæ Thraciæ, venti, flantes è Thracia, quæ ob montes niue obſitos, dicta olim ventorum officina; nam inde procreantur facilè venti. Cur autem iidem, animæ, inquies? quia idem Latinis anima eſt, quod ſpiritus, flatus, halitus; cuiuſmodi profectò eſt ventus. At animæ iſtæ, Fauonij, quia comites Veris,& mare vicinum temperantes, ab ortu Thraciæ poſitum; ſpirant enim Fauonij ab occaſu, & benigno tepore ſuo hybernum frigus mulcent. lintea, carbaſa, nauium vela, quæ dum impellunt venti, ea quodammodò animant: quidni ergo & hoc ſenſu animæ?

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens; Progne, in hirundinem verſa, Ityn à ſe occiſum deflens, nidum conſtruit: infelix auis, & Cecropiæ domus æternum opprobrium, quòd malè barbaras Regum eſt vlta libidines: miſera enim verò quæ Patris, Athenienſium Regis, familiam dedecore ſempiterno affecerit, & illatum à marito Philomelæ ſorori vitium vlta ſit, crudeliac barbara penitùs, innocentis filij nece. Prognes mariti eius Terei, Philomelæ, & Itys, Metamorphoſes, deſcribit Ouidius, lib. 6. ibi Tereus, Vpupa fit, Philomela, luſcinia, Itys verò, gallus Colchicus, qui vulgo, Phaſianus.

Dicunt in tenero gramine, pinguium cuſtodes ouium carmina fiſtula, delectantque Deum, cui pecus & nigri colles Arcadiæ placent; celebratur ab opilionibus Arcadiæ Deus Pan, qui carminibus ruſticis miru n in modum creditur delectari. Tenerum gramen: herba recens nata. Colles nigri, ex arborum, fruticumque, quibus ſcatent, incredibili planè copia.

Adduxere ſitim tempora, Virgili; eſt quidem bibendi tempus, ô Virgili: ſed preſſum Calibus ducere Liberum ſi geſtis, Iuuenum nobilium cliens, nar-

do vina merebere : sed vinum Calenum tibi prius non propinauero , quàm à te nardinum accepero vicissim vnguentum. Nardi paruus onyx eliciet cadum, qui nunc Sulpiciis accubat horreis;erit satis vnguẽti huius vel exigua quæque quantitas , ad educendum ex apotheca vinaria haud contemnendæ magnitudinis dolium, quod apud Sulpicium latet : spes donare nouas largus , amaraque curarum eluere efficax, eo vbi fueris liberaliter vsus , & spem bonam conceperis futurorum , & conceptum de præteritis mœrorem absterseris.

Liber, Bacchus, pro vino, metonymicè : pressum vocat , ex vuis expressum , & eductum : Calibus, felicis Campaniæ oppido, vnde Calenum. Ducere, vel ex cado,vel ex poculo, educere, & haurire. Si gestis, si vis, sed cum animi propensione, quæ ad compotationem omninò afferenda.Iuuenum nobilium cliens, nactus patronos nobilitatis primariæ adolescentes, quibus ad delicias vnguenta subministras : vnguentarius enim erat iste Virgilius ; myropolam Græci appellant. Nardus , vnguentum ex nardo,seu nardinum mereri vina , comparare , ex quo Italicum, *Comprare* , idem ac Latinis , emere. Onyx, vas ex onyche , siue concha, siue gemma,aut etiam marmore alabastrite. Largus donare, efficax eluere : frequenter occurrens in Horatio hellenismus.

Ad quæ si properas gaudia, cum tua velox merce veni ; quare si oblato interesse conuiuio vis,illud citò symbolum confer : non ego te meis immunem meditor tingere poculis,plena diues vt in domo;nolo enim tę asymbolum ad mensam admittere : admittant , qui rerum omnium copia circunfluunt optimates.Immunis,asymbolus,nihil ad epulum ferens.

Verùm pone moras , & studium lucri , tantisper à myropolio recede, & ad me venire propera : nigro-

rumque memor, dum licet, ignium, misce stultitiam consiliis breuem; vt quandiu licet per vitæ huius, cui mors imminet, breuitatem, austera negotia suauibus iocis temperes: dulce est desipere in loco; iucundum est, cùm locus, ac tempus ferunt, à seriis animum auocare. Ignes nigri, quibus cremabantur corpora Romanorum tunc, vt cineres in vrnis conderentur, quarum nonnullæ Antiquariorum exornant conclauia hodie. Stultitia, minùs propriè dicta, ea hilaritas est, ad quam descendunt identidem grauissimi viri, ne contentione perpetua, mentis aciem obtundant.

ODE X.

Ad Augustum.

QVæ cura Patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus, tuas
  Auguste virtutes in æuum,
    Per titulos, memoresque fastos,
Æternet? ô quà Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum,
  Quem legis expertes Latinæ
    Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses; milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
  Brencosque veloces, & arces
    Alpibus impositas tremendis,
Deiecit acer plus vice simplici

Maior Neronum; mox graue prælium
Commisit, immanesque Rhœtos
Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Deuota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis;
Indomitas propè qualis vndas
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis voluitur Aufidus,
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Cùm sæuit, horrendamque cultis,
Diluuiem meditatur agris,
Vt Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque, & extremos metendo,
Strauit humum sine clade victor,
Te copias, te consilium, & tuos
Præbente Diuos: nam tibi, quo die
Portus Alexandria supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio,
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque, & optatum peractis
Imperiis decus arrogauit.
Te Cantaber non antè domabilis,
Medusque, & Indus, te profugus Scythes,

Miratur, ó tutela præsens
Italiæ, dominæque Romæ:
Te fontium qui celat origines
Nilúsque, & Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus, qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis;
Te non pauentis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ,
Te cæde gaudentes Sicambri,
Compositis venerantur armis.

Quæ cura Patrum, quæve Quiritium, plenis honorum muneribus, tuas, Auguste, virtutes in æuum per titulos, memoresque fastos, æternet? Honores decreti, ô Imperator, qualescunque tandem sint, nunquam erunt meritis tuis pares. Patres, & Quirites; Senatus, populusque Romanus, his *quatuor* expressus sæpe litteris: S.P.Q.R. plena honorum munera, honores, instar munerum, donorumve oblati: habēt enim decreti honores eximiorū munerū, donorūve rationem. In æuum, in perpetuū. Fasti, publicæ tabulæ, in quas referebantur virorum illustrium nomina, præsertim illorum, qui summos gessissent magistratus. Tituli, nummorum, statuarum, aliorumve, ex ære, vel ex marmore, monumentorum, inscriptiones. Æternare, memoriæ posteritatis commendare, ad quandam æternitatem. O, qua Sol habitabiles illustrat oras, maxime principum; ô summe totius orbis princeps: arbitrabatur Horatius non omnes Mundi partes habitari; sed falsam sententiam hanc leui brachio reiecimus anteà, vt qui sæpius agamus cum iis, qui lustrarunt oculis, & quas Antiqui torridas, & quas etiam gelidas nominarunt.

Quem legis expertes Latinæ Vindelici didicere

nuper quid Marte posses; tuam in bellis felicitatem, atque industriam, experti non ita pridem Vindelici: milite nam tuo Drusus Genaunos, implacidum genus, Brencosque veloces, & arces, Alpibus impositas tremendis, deiecit acer, plus vice simplici; etenim copiis à te acceptis Drusus, Genaunis, Brencis, Ferocibusque aliis Alpium populis, clades plurimas intulit, & munita eorundem solo æquauit propugnacula, quamuis extructa in rupibus innaccessis forent.

De Vindelicis meminimus suprà: dicuntur expertes Latinæ legis; quia patriis moribus etiamtunc vtebantur: audierant autem reportatas à Druso de Alpinis populis victorias, curiosè sine dubio, quod & Alpes ipsimet incolerent. Inter cæteros porrò Augusti armis ibi domitos, quos Plinius, Natur. hist. lib. 3. cap. 20. enumerat, ab Horatio hîc Brenci, & Genauni recensentur: Genaunos Plinius, Naunes, vel quemadmodùm legunt alij, Cenaunes vocat; Brencos alij, Breunos, Brennosve, Dalechampius in Plinium, Brigantios quoque nominat, putatque illos esse, qui nobis hodie, *Briançonnois.* Implacidum genus, idem ac gens fera, truculenta, quæ nec placari velit, nec gentes alias æquitate placare. Plus vice simplici; sic Drusus rependerit vicem, vt plus Barbaris attulerit damni, quàm ab iis acceptum anteà sit.

Maior Neronum; Drusi frater, maior natu, Tiberius: mox graue prælium commisit, immanesque Rhœtos auspiciis pepulit secundis; inita paulo pòst acerrima pugna, effundentes sese in subiectam planitiem Rhœtos antiqua montium latibula repetere coegit. Spectandus in certamine Martio deuota morti pectora liberæ quantis fatigaret ruinis: ac tametsi media irruebant in pericula hostes, mortemque

contemnebant, fortissimo tamen duci cessere loco tandem, perpetua suorum clade attoniti.

Auspiciis secundis, bonis auibus, feliciter: ex auita Romanorum superstitione, prosperos, aduersosque rerum euentus, ex auium aspectu conjicientium. Certamen Martium; decretoria pugna. Morti liberæ deuota pectora, homines vltro mortem oppetentes, quam possent negotio nullo effugere, si maturè se subducerent.

Indomitas propè qualis vndas exercet Auster, Pleiadum choro scindente nubes; haud absimilis igitur Tiberius Noto: sicut enim hic ventus, redeuntibus ad nos Vergiliis, fluctus mouet, & allidit ad saxa, sic intrepidus iste dux, immisso in confertos hostium globos equo, terrorem iis incutit, & compellit ad fugam, non sine horribili fugientium strage: id enim sonant verba hæc; impiger hostium vexare turmas, & frequentem mittere equum *medios* per ignes.

Auster, quasi Hauster, si Grammaticos audimus, ab hauriendis aquis, quas breui refundit liberaliter. Pleiades, Atlantis filiæ septem, Electra, Alcyone, Celeno, Merope, Taygeta, Sterope, Maia, in cœlum elatæ; vel in dorso, vel certè ad dorsum tauri positæ, ideò fortassis, quòd earum sorores quinque, nomine Hyades, iam caput eiusdem tauri occupassent; præter Meropen vnam, conspicuæ: hanc enim latere scribit Ouidius, quia Sisypho, mortali homini nupsit, cùm reliquæ ex immortalibus Diis liberos pepererint: quanquam decebat latere ipsas potiùs, ob admissum flagitium. Pleiades dicuntur à Latinis Vergiliæ; siquidem post ver apparere incipiunt, & æstatem ortu suo, hyemem occasu significant. Scindit earum chorus nubes; quando pluuiam è nubibus elicit, quam per quasdam ve-

luti rimas videntur dejicere.

Sic tauriformis voluitur Aufidus, qui regna Dauni perfluit Apuli, cùm sæuit, horrendamque cultis diluuiem meditatur agris; ita fluuius Apuliæ Aufidus per agros interdum effertur ferociter: vt Barbarorum Claudius agmina ferrata vasto diruit impetu primosque, & extremos metendo strauit humum sine clade victor; quemadmodùm per cataphractas hostium acies, absque graui suorum iactura, Tiberius.

Aufidus perfluit regna Dauni; fluit per ea loca, in quibus regnauit Daunus: nos de Dauno alibi. Tauriformis autem Aufidus: cùm enim fluuij, Æliano teste, humana modò, modò etiã taurina forma induti ostententur, maluit huic Horatius taurinam affingere, quòd parum humanè suos haberet populares, & in eorum agros violentus incurreret. Diluuiem meditari; eluuionem parare, machinari: sumpta est ab animatis, traductaque ad res inanimatas metaphora: etenim auidi vltionis homines meditari secum solent, excogitareque infortunia priùs, quibus posteà mactent eos, à quibus se læsos existimant. Claudius, Tiberius Nero, qui sæpius vocatur Tiberius duntaxat. Agmina ferrata; loricis, & cæteris armis probe instructa, quæ si tunc imitati essent Galli, qui ad pugnam inermes descendebant: non tam facilè à Romanis essent victi. Strauit humum metendo Claudius homines; vt sternunt, metendo segetes, agricolæ, quia propriè ipsorum est metere.

Te copias, te consilium, & tuos præbente Diuos; quanquam pugnauit Tiberius, tibi tamen, Auguste, adscribenda potissimum victoria est: nam milites tradidisti fortissimos, plena prudentię suggessisti consilia, auxilium à Superis opportunum impetrasti. Nam tibi quo die portus Alexandria supplex,

& vacuam patefecit aulam : tibi ergo debentur hæc decora ; siquidem quo die Alexandria potitus es : fortuna lustro prospera tertio , belli secundos reddidit exitus, laudemque , & optatum peractis imperiis decus arrogauit ; eodem , post annos aliquot, confectis feliciter bellis , pacatum assecutus es Romanorum Imperium.

Alexandria, Ægypti primaria ciuitas , ad Canopicum Nili ostium , ab Alexandro Macedone condita , & ab Augusto , post M. Antonium prostratum , occupata : ibi regia Ptolemæorum erat,à quibus oriunda Cleopatra , famosa Iulij Cæsaris, ac Marci Antonij pellex , quæ conata Augustum emollire , vt spe sua excidisse se vidit , vltro mortem oppetiit. Lustrum, annorum quinque spatium.

Te Cantaber non antè domabilis , Medusque , & Indus , te profugus Scythes miratur , ô tutela præsens Italiæ domineque Romæ ; nihil est cur sibi Roma , imò ne Italia quidem , ab exteris nationibus timeat : quando te verentur ferocissimæ , Cantabri, ac Scythæ ; remotissimęque, Medi, & Indi : te fontium qui celat origines , Nilusque , & Ister, te rapidus Tigris , te belluosus , qui remotis obstrepit Oceanus Britannis ; Ægyptios his adiungere liceat, Germanos, Armenos, & Britannos. Te non pauentis funera Galliæ, durȩqus tellus audit Iberiæ ; tibi gerunt morem contemptores periculorum Galli , tibi quoque Hispani laborum patientes : te cæde gaudentes Sicambri compositis venerantur armis ; te Sicambri bellicosi suspiciunt , & oblatas conditiones pacis admittunt perlibenter.

Scythes profugus ideò , quia Scythæ, cùm perpetuò equitent , nulloque consistant certo in loco, videntur perpetuò fugere. Nilus , pro Nili accolis Ægyptiis : Ister, seu Danubius, pro Germanis,quos alluit;

alluit; pro Armenis verò, apud quos oritur, Tigris. Oceanus, belluosus: nam multæ in eo belluæ, in mari Mediterraneo, pauciores. Obstrepit Britannis Oceanus, dum tempestate, vel æstu etiam iactatus, ad littora eorum alliditur. Funera non pauens Gallia: iam tum Galli mortem minimè formidabant, in bellis maximè. Iberia, Hispania, vbi fluuius Iberus.

ODE XI.

Augusti Laudes.

PHœbus volentem prælia me loqui,
Victas & vrbes, increpuit lyra,
Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem: tua Cæsar ætas
Fruges & agris retulit vberes,
Et signa nostro restituit Ioui,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, & vacuum duellis
Ianum Quirini clausit, & ordinem
Rectum euaganti fræna licentiæ.
Iniecit, emouitque culpas
Et veteres reuocauit artes,
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Creuere vires, famaque, & Imperi
Porrecta maiestas, ad ortum
Solis, ab hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor

Ciuilis, aut vis exiget otium;
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat vrbes.
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia; non Getæ,
Non Seres, infidive Persę,
Non Tanaim propè flumen orti.
Nosque & profestis lucibus, & sacris,
Inter iocosi munera Liberi,
Cum prole, matronisque nostris,
Ritè Deos priùs apprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remisto carmine tibiis,
Troiamque, & Anchisen, & almæ
Progeniem Veneris canemus.

Phœbus volentem prælia me loqui, victas & vrbes, increpuit lyra; duplex potest esse sensus, vel enim ait Horatius. Phœbus prælia volentem me lyra loqui, increpuit, vel certè, increpuit me lyra Phœbus, volentem prælia loqui. Lyra loqui, canere; lyram pulsare, & ad eius pulsum, celebrare res præclarè bello gestas: lyra increpare; certo quodam lyræ motu conceptam indignationem ostendere: quod ideò de Phœbo dicitur, quia lyram manu tenens pingitur Phœbus. Prælia inita; & vrbes, vel ab Imperatore ipso, vel ab eius ducibus, expugnatas.

Increpuit lyra, ne parua Tyrrhenum per æquor vela darem, increpans monuit, ne ingenij mei tenuitate maximas Augusti laudes detererem: naurcho imperito, temerarioque similis, qui actuariolo fretus, in altum prouehi auderet, sperаretque se

posse decumanis fluctibus impunè obsistere. Parua vela nauigium paruum arguunt, quale est actuariolum: nostri hodie appellant, *felouque*, quo littus duntaxat legitur. Æquor, mare, quia æquum, quando placidum. Tyrrhenum, Hetruscum, siue Thuscum, à Tyrrhenis, Lydiæ populis, ad eius oras appulsis. Dare vela, propriè, mari se credere: metaphoricè verò, augere, vt dare vela odio, iræ; quod & metaphoricè item, habenas laxare.

Tua, Cæsar, æstas frug s & agris retulit vberes, te imperante, ô Cæsar, agris nostris restituta fertilitas: & signa nostro restituit Ioui, derepta Parthorum superbis postibus; militaria signa, quæ Crassus à Parthis cæsus amiserat, allata inde, & in fano Iouis Capitolini, solemni ritu, posita: & vacuum duellis Ianum Quirini clausit: clausum quoque Iani templum, pace toto terrarum orbe facta; quod intellige tamen de orbe Romano, qui ad maximam tunc Europæ, Asiæ, atque Africæ partem haud dubiè pertinebat: & ordinem rectum euaganti fræna licentiæ iniecit, emouitque culpas: compositi ciuium mores, repressa peccandi licentia: & veteres reuocauit artes, per quas Latinum nomen, & Italæ creuere vires, famaque, & Imperi porrecta maiestas ad ortum Solis, ab hesperio cubili: antiqua demum sancita disciplina, qua exculti olim Itali famam sibi eximiam pepererunt, & angustos fines Imperij longè latèque, ad ortum, & occasum, inuicta virtute protulerunt.

Tua Cæsar ætas fruges agris retulit vberes, Augusto ergo regnante, aureum sæculum fuit, id enim significat, palpans Principem, Horatius. Signa Ioui restituta, ostendunt ab ethnicis factum, quod nunc piè à Christianis, oblata videlicet in delubris vexilla, vt bellorum euentus diuinæ in primis adscri-

berentur prouidentiæ. Parthorum superbi postes, quia postes Parthorum superborum: neque enim in postes superbia, sed in ipsorum dominos cadit. Postes porrò pro integris ædificiis, quorum sunt partes duntaxat, imò partes partium, nempe partes ianuarum. Iam Parthi, superbia tumidi licet, maluerunt restituere signa, & fœdus ferire cum Augusto, quàm belli aleam tentare.

Ianum Quirini, Ianum Quirinum, alij dicunt; quasi dicerent, Ianum Romuli, aut Ianum Romulum, seu Romuleum: templum Iani scilicet, extructum Romæ, à Numa Pompilio Rege, quod toto belli tempore apertum erat, pacis tempore clausum: Ianus autem, pro templo Iani, metonymicè; quemadmodùm paulo antè, Iupiter, pro templo Iouis. Albricus Philosophus, libello de Deor. imaginibus, his Ianum depingit verbis: erat rex homo, sedens in throno fulgenti radiis circumquaque; *qui* duas facies habebat, quarum vna ante se, altera post se respiciebat: iuxta illum quoque erat templum, & in manu eius dextra habebat clauem, qua templum ipsum aperire se monstrabat: in sinistra verò habebat baculum, quo saxum percutere, & ex illo aquam producere videbatur. Hæc ille, quæ cùm symbolica sint, à nobis exponenda. Ianus igitur hominis forma exhibitus, vt reliqui ferè omnes Gentium Dij, sed rex in throno collocatus fuit, ornatusque radiis, in omnem sese partem effundentibus: qui Iani appellatione designabatur Sol, cuius cœlum, est sedes, & corona, radij, perpetuò emicantes. Duæ facies oppositæ tempus duplex respiciunt, præteritum, & futurum, vtrumque à Sole, cuius cùm motus deficiet, deficiet etiam tempus; id enim ex dilecti discipuli reuelatione intelligitur, ita nempe Apocalypsin Christiani scriptores vocant, quam La-

tini veteres nuncuparent oraculum. Templum,mundus,nominatim terreno isto superior, in quo Imperij sedem statuit opt. max. Deus, habitatque quasi in Sanctuario. Clauis additur, vel quia Sol ortu suo quotidie cœlum aperit, vel quia vt canebat Homerus, nihil Soli occultum, propterea Ianum Romani Ianuis præfectum affirmabant. Baculus, aquam eliciens, demonstrat vim mirificam Solis,ex imis rupium penetralibus, humorem non raro exprimentis.

Ordinem rectum euaganti fræna licentiæ iniecit, euaganti ordinem, vaganti extra ordinem: quo pacto dicimus, euadere fluminis ripam, quasi diceremus, vadere extra, aut vltra fluminis ripam. Fræna porrò licentiæ iniecit Augustus,latis legibus,& pœnis pro scelerum grauitate inflictis. Emouere, vel amouere culpas; vitiorum incendia fœda restinguere. Hesperium cubile; occasus Solis, ab hespero, qui ἕσπερος, Græcis: Latinis, vesper,& vesperugo; stella sub dictum iam occasum apparens, quam Astrologi nominant Venerem, & in ordinem stellarum errantium iure referunt, vt quæ incertum, vel instabilem potiùs, longéque ab inerrantium motu diuersum, teneat motum.

Custode rerum Cæsare, non furor ciuilis, aut vis exiget otium, non ira, quæ procudit enses, & miseras inimicat vrbes: quandiu præerit Romanis Augustus, nec Romam domestica bella, neque verò externa perturbabunt, aliæ autem ciuitates Imperij mutuam inter se fouebunt concordiam, & à consiliis exitialibus longissimè abhorrebunt. Custodem rerum Cæsarem, non dominum appellat Horatius; ad minuendam inuidiam. Exigere otium,expellere pacem, & bellum reuocare, quod magnum profectò negotium. Ira,non procudit enses, verùm ad

enses procudendos impellit. Inimicare, odio habere, inquit Morelius, alij opinor, meliùs ad odium, inimicitiasque, prouocare: nam quandoquidem de ira hîc agitur; quis dixerit iram, vrbes odio habere? vrbes potiùs inter se flagrant odio, quoties ita exardescunt.

Non qui profundum Danubium bibunt edicta rumpent Iulia, non Getæ, non Seres, infidive Persæ, non Tanaim prope flumen orti, non violabunt Iulias leges Germani, cæterive Danubij fluminis accolæ; non Getæ, non Seres, non Persæ, ac Medi, non demum Scythæ ipsi. Iuliæ leges non Iulij Cæsaris tantùm, sed & adoptati ab eo, Imperatoris Augusti; variæ sunt: de adulteriis, & stupro. V. D. 28. t. 5. de ambitu. t. 14. de annona. t. 12. maiestatis t. 4. peculatus, & de sacrilegiis, ac residuis t. 13. repetundarum. t. 11. de vi priuata. t. 7. de vi publica t. 6. Papia Poppæa de maritandis ordinibus, apud Gothofred. in Lexic. fertur ab Augusto, sub finem vitæ lata; Papio, & Poppæo, Coss. Tanais, fluuius, Europam ab Asia diuidens, cuius origo apud varios autores varia est, accolæ, præter Scythas, etiam Sarmatæ.

Nosque & profestis lucibus, & sacris, inter iocosi munera Liberi, cum prole, matronisque nostris, ritè Deos priùs apprecati, virtute functos more Patrum duces, Lydis remisto carmine tibiis, Troiamque, & Anchisen, & almæ progeniem Veneris canemus. Pollicetur Horatius, quotidie se ornaturum laudibus Iuliæ gentis Principes, Æneam, & Anchisē.

Profestæ luces, & sacræ: festi, profestique dies. Iocosi munera Liberi: epulæ, comessationes. Cum prole, matronisque nostris: cum vxoribus, ac liberis. Matronam ICC. aiunt fuisse apud Romanos, spectatæ honestatis, pudicitiæque, mulierem, cui

stolæ habendæ ius esset. Ritè Deos priùs apprecati, quanquam profani, & impij erant, qui Deum, rerum omnium conditorem, ignorabant; non tamen alienos quis putet ab omni specie pietatis; etenim, vel in ipsis conuiuiis, vbi apud Christianos vix rectæ rationi nunc locus aliquis relinquitur, dabatur apud ethnicos tunc primus locus precationi.

Virtute functi duces-ij, qui ornati virtutibus, ex hac vita excessere; hos laudant perlibenter, etiam vitiosi, superstites: quia virtus amabilis semper post mortem tamen maximè, cùm extincta inuidia est. Lydæ, seu Lydiæ, pro Phrygiis accipiuntur ab aliquibus, ab aliis distinguntur, & vtrisque adduntur Doricæ, quarum omnium diuersi erant modi; hos rimentur periti tibicines. Remistum, seu remixtum carmen, repetitum. Veneris progeniem interpretor Æneam, eius filium, cui iungere Iulum, seu Ascanium, licet.

ODE XII.

Vitæ Rusticæ Laudes.

BEatus ille, qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore;
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Ergo aut adulta vitium propagine,
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oues;
Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpuræ,
Qua muneretur te Priape, & te Pater
Syluane, tutor finium.
Libet iacere modò sub antiqua ilice,
Modò in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in syluis aues,
Fontesque Lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues.
At cùm tonantis annus Hybernus Iouis
Imbres, niuesque comparat;
Aut trudit acres, hinc & hinc, multa cane,
Apros in obstantes plagas;
Aut amite læui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pauidumque leporem, & aduenam laqueo
gruem,
Iucunda captat præmia.

Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur ?
Quòd si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos.
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis vxor Apuli,
Sacrum vetustis extruat lignis focum,
Lassi sub aduentum viri,
Claudensque textis cratibus lętum pecus,
Distenta siccet vbera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magisve Rhombus, aut Scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare;
Non Afra auis descendat in ventrem meum,
Non Attagen Ionicus
Iucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum,
Aut herba Lapathi prata amantis, & graui
Maluæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, vt iuuat pastas oues
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inuersum boues
Collo trahentes languido;
Positosque vernas, ditis examen domus,

Circum renidentes lares!
Hæc vbi locutus, fœnerator Alphius,
Iamjam futurus Rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Ad vniuersum Odarum opus attexere libuit elegantissimum carmen hoc, ex Epodon libello petitum, cuius quanquam sensus totus, apertus, & facilis; verba tamen aliqua, interpretis aliquam requirunt industriam.

Beatus ille, qui procul negotiis: commendat poeta hominem, qui sic negotiosus non sit, vt ne item velit esse otiosus: vita nempe rustica, quam ei proponit excolendam, negotiis abundat, sed pacatis, ac tranquillis, quæ corporis durent robur, aciem verò animi, nec distrahant in varia, nec in vno defixam obtundant.

Prisca gens mortalium, aureum sæculum Saturni agentium. Rura exercere, agricolationi operam dare. Bobus suis, non alienis; id enim pauperum Rusticorum est; vt est etiam, alienos, non suos agros, arare. Solutus omni fœnore dicitur, qui quodlibet respuit fœnus: huic enim alios addicere, inuidiosum semper, sæpeque inhumanum; addici autem, sanè miserum. Fœnus, Græcè, τόκος, id est, fœtus, siue partus, quòd pecunia pecuniam alteram pariat; Hebraicè verò, נשך, quasi, morsus, quòd fœnus substantiam, atque homines arrodat, & mordendo perdat, inquit sanctes Pagninus, in Thesauro.

Classicum, militaris tuba, castrensis buccina, eiusdemque, seu tubæ, seu buccinæ, sonus. Adulta vitium propago necessaria, vt iungi possit arboribus altis, quales vtplurimùm populi; nam vites quo adolesc-

cunt magis, eo palm tes ferunt quoque longiores, qui facilè tunc ad cacumen assurgunt arborum, eisque dum obligantur, quod passim in Italia fit, dicuntur maritari.

Prospectat, quasi porrò, aut procul spectat; etenim porrò, interdum est vltra, aut quodammodò procul, vt, perge porrò. Feliciores rami; vtiles, nam in locum inutilium substituuntur. Pressa mella; mel ex fauis eductum, quod premendo fit: sic enim à cera seiungitur. Infirmæ oues, non morbo affectæ, sed morbosæ: nam morbo affectarum non magni pendenda est lana.

Autumnus, humanam speciem præferens, caput pomis redimitum ostentabat, & quidem mitibus pomis, hoc est, maturis: quippe immatura, eadem acerba sunt. Pyra insitiua, insitione nata, quibus debitam saporis gratiam ars contulit, non natura vtpote cui effœtæ iam vires, neque ad eximios fructus procreandos idoneæ, nisi manum sagacem ars porrigat.

Vua certans purpuræ, hellenismus: pugnandi verba Græci copulant cum datiuo; vt μάχομαί σοι Latinè dixeris: vua contendens de colore cum purpura. Munerari Priapum, & Syluanum, vtrique ruris Deo vuam offerre, nec iniuria: Baccho enim, vuarum præsidi, familiares erant Syluanus, & Priapus.

Antiqua ilex, annosa. Gramen tenax, adhærens terræ firmiter, illud maximè, quod caninum dentem vocant. Plagæ; retia, quæ obstant feris, latratu canum exterritis, & ad notas latebras properantibus. Ames, aucupatoria pertica, qua tendi solent casses: ij sunt edacibus turdis doli; quia turdi, & aues aliæ, dum escam cupidè appetunt, in eos incidunt imprudentes & pœnas cupiditatis luunt oppidò graues.

Pauidum leporem, & aduenam gruem, rectè vocat Horatius: nam lepus circumspicit perpetuò, & ad minimum strepitum tremit, grus autem quotannis è longinquis regionibus ad nos redit, redeunte ad nos Vere.

Quòd si pudica mulier in partem iuuet domum, si Rustici vxor in partem laboris veniat, & pro viribus rem domesticam curet: in partem ergo, hellenismus est, idemque significat, ac pro sua parte, Gallicè dicimus: *de son costé*: quasi vellemus, virum hinc, inde vxorem, in opus incumbere, & vnicuique vnam operis partem assignaremus, alteram diuersam ab altera, & meritò quidem, cùm alia viri, mulieris alia sit haud dubiè facultas, atque indoles.

Sabina qualis, tales in Latio vult esse matronas Horatius, quales olim fuere in Sabinis: aut perusta Solibus pernicis vxor Apuli, quales item in Apulia, quamvis vehementissimi sentiantur calores à Sole, non propterà segniter in vmbra delitescunt, maritos imitatæ, ad omnia ruris munia impigros, ideoque pernices, seu veloces, ac vigiles non tardos, aut somniculosos.

Sacrum vetustis extruat lignis focum, Lambinus legit, sacrumque, & in sequentibus Hypallagen agnoscit, quam agnoscit & Bondius: at si legas, sacrum, quæ ratio carminis non constabit: adhæc particulaque, haudquaquam necessaria est: quandoquidem periodum claudunt hæc vocabula, claudensque & horna; cum singulis coniunctionibus, singula, quæ abundè sufficiunt. De Hypallage, leuioris momenti questio est; non damnarim ego eum, qui nullam hîc putarit agnoscendam: quidni enim rectè dixerit lignis extitui focum, quando lignorum erigitur in eo strues, vt ignis luculentus excitetur? sa-

crum porrò, Penatibus, qui Græcis, ἐφέστιοι, dicatum, atque consecratum.

Vetusta ligna patrisfamilias indicant prouidentiam. Textæ crates, quibus clauditur pecus, efficiunt septum, Gallicè, *Parc*, in calidioribus vsitatum prouinciis, vbi magnam anni partem sub dio traducunt armenta. Distenta siccare vbera: mulgere, & ex vberibus lac totum premendo elicere.

Horna, hoc est, huiusce anni, vina, eaque recentia, ideò dulcia; hinc dulce à poeta dictum dolium. Dapes inemptæ, propria partę industria, non pretio quæsitæ. Lucrina conchylia, è Lucrino, felicis Campaniæ lacu, allata. Rhombus, piscis, hodieque laudatissimus, in prouincia Narbonensi, *rhomb*: apud Parisienses, *barbue*. Scarus, piscis alter, quem Horatius aliunde ad nos migrare significat, non æquè, vt prior, notus: non desunt, qui patria lingua nominent, *Denté*. Hyems intonata, tempestas violenta, non sine tonitruis, fulminibusque concitata. Eoi fluctus, maris Eoi, siue ad Orientem positi.

Auis Afra, sæpiusque Numidica, ex Numidia, quæ pars Africæ nobilissima est, in Europam inuecta: nobis, gallus Indicus, *coq d'Inde*: quod remotas ab Europa regiones appellet vulgus Indias. Attagen Ionicus, in Ionia, minoris Asiæ regione, quondam frequens: hunc dici Francolinum ab Italis reperirique in Alpibus, aiunt aliqui, neque multum à Phasiano abludere ipsum docent, alij contendunt Phasiani esse speciem, ego verò auem aliam, minorem Phasiano, perdice, quam vulgus rubram vocat, maiorem paulo, eique concolorem bonitate minimùm parem, at rariorem multo, hanc alunt Arelatenses campi; nomen ab indigenis datum, *Greffe*, quod non puto in reliqua Gallia vsitatum vllo pacto.

PETRVS Boyer, Societatis IESV Prouincialis Præpositus in prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis, Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Februar. 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decemb. 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, permittimus Antonio Thomas, vt Horatij puriores Odas, ab Antonio Golleti, Societatis nostræ Sacerdote, ab impuris nunc primùm seiunctas, & opportunis obseruationibus auctas, ad annos nouem imprimere, ac diuendere liberè possit. Lugduni xxx. Maij CIϽIϽCLXXVI.

PETRVS BOYER.

APPROBATIO.

HOratij Puriores Odæ R. P. Antonij Golleti in lucem prodire possunt in gratiam studiosæ Juuentutis vtpote ab impuditiæ cæno purgatæ. Ita testor ego infra scriptus Doctor Theologus facultatis Parisiensis, die decima Maij anno 1676.

Fr. LOMBART.

APPROBATIO.

HOratij Puriores Odæ R. P. Antonij Golleti typis mandari possunt. Datum Lugduni die decima Maij, anno 1676. Ita testor ego infra scriptus Doctor Theologus facultatis Parisiensis.

Fr. VIAL.

CONCESSIO.

NIhil vetat quin ANTONIVS THOMAS mandare typis possit *Horatij Puriores Odas, digestas in libros quatuor, quas Antonius Golleti, Societatis IESV Sacerdos, ab impuris nunc primùm seiunctas, Poeseos Lyricæ candidatis exhibet, cum obseruationibus opportunis*; ac de more prohibeantur ad quinquennium alij. Lugduni 1. Jun. 1676.

VAGINAY.

PERMISSIO.

FIat vt innuit Regius Procurator, eod. die, & anno.

DE SEVE.

Q

